JOHANNIS RUDOLPHI GLAUBERI

OPULENTI THESAURI,

ET

ARCÆ THESAURARIÆ,

SIVE

APPENDICIS GENERALIS,

CENTURIA SECUNDA.

Quæ ipsius Scripta, hactenus in lucem edita, magis perspicuâ explanatione illustrat, & occultatam in ipsis veritatem evidentius demonstrat.

Lucis augendæ, & Tenebrarum dispellendarum gratiâ, ab AUTHORE conscripta, & in lucem emissa.



AMSTERODAMI,
Apud JOANNEM JANSSONIUM,
Anno CIↃ IↃC LXI.

JOANNIS RUDOLPHI GLAUBERI

OPULENTI THESAURI,

ET

ARCÆ THESAURARIÆ,

SIVE,

APPENDICIS GENERALIS,

CENTURIA SECUNDA.

In quâ Scripta antehac edita illustrantur, & Veritas, in illis obscurius explicata, manibus quasi palpanda traditur.

Lucis Augmenti, & tenebrarum discussionis causa, ab AUTHORE conscripta, & publici juris facta.



AMSTELODAMI,
Apud JOANNEM JANSSONIUM,
Anno cIↄ Iↄ c LXI.


0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

JOH. RUD. GLAUBERI

OPULENTI THESAURI,

ET

ARCÆ THESAURARIÆ,

SIVE,

APPENDICIS GENERALIS,

Centuria Secunda.



ENEVOLE LECTOR: Dilecti Majores nostri, aliquem promissis suis non stantem, comi reprehensione notaturi, Veterum Germanorum, constantiæ & probitatis famâ celebrium, adagio uti solebant, dicentes: Fas esse, & tàm Junioribus, quàm Senioribus convenire, ut non modò aliquid polliceantur, sed etiam promissis suis stare omninò studeant; quo contrarium indicare voluerunt, summo vitio illi vertendum esse, qui pollicitorum suorum immemor, eadem effectui dare negligat.

Cum igitur & ego Veteribus illis Germanis, Majoribus nostris, sinceritate & integritate actionum mearum, respondere cupiam, & proindè haud libenter audire velim, exprobrationes aliorum dicturorum, promissis meis me non satisfe-

ciſſe, præcipuè cum non ignorem: quid antè dimidium annum, Scriptis meis editis pollicitus ſim, nempè omnia mea Scripta hactenus edita, explanaturam, & perfecturam Appendicem, conſtantem Centuriis decem, de quibus jam una in lucem prodiit; Muneris mei eſſe cenſui, promiſſis meis ſatisfaciendo, viri boni & honeſti officio fungi, & reliquarum Centuriarum editione perficiendâ, Lectoris Benevoli deſiderium explere. In Primâ Centuriâ de Sale & Igne, tanquam de duobus initiis & principiis, omnium rerum generationem, & propagationem promoventibus tractatur, atque ideò illa Dei Patris, & omnium rerum Creatoris, Primæque Perſonæ Deitatis honori dicata & conſecrata eſt; Pari ratione decreveram hâc Secundâ Centuriâ Concentrationem Rerum omnium, ſive earundem in Primam Materiam Reductionem, explanare, atque in Secundæ Perſonæ Deitatis, videlicet Domini noſtri Jeſu Chriſti, tanquam noviſſimi Cœlorum ac Terræ Concentratoris honorem, literis mandare. Sic in animum induxeram, Naturæ & proprietati Spirituum, ac proinde Spiritui Sancto, Tertiæ Perſonæ Deitatis, Tertiam Centuriam dicare, & in reliquarum 7. Centuriarum ſingulis, de ſingulis Peccatis Mortalibus ſeptem agere. Verum enimverò malcſeriatorum quorundam hominum deteſtanda malitia, meum propoſitum curſum interrumpens, execrandum mihi obicem objecit, & me impedivit, quominus promiſſas meas Centurias,

turias, optimi illius ordinis filo, ad finem propositum deducere queam, hoc pacto nactus occasionem, haud multum novi amplius scribendi, sed potius ingenii viribus omnibus in id unum incumbendi, ut meorum Scriptorum, hactenus editorum, veritati patrociner. Hunc ad finem directa est hæc Secunda Centuria, quæ manifestis, & evidentibus non modò argumentis, sed etiam operationibus verissimis, aperiet veritatem omnium eorum, quæ in Quintâ Parte Prosperitatis Germaniæ nonnihil obscurius tradita, mendaciorum ac fallaciarum accusare inimici perfidè conantur, Eorum apertissima declaratio, totius Mundi oculis subjiciet, dolos & machinas perversissimas, quibus instrumenta sua perniciosissima Diabolus instruit, ut Humanum Genus, ad malitiam seductum, Divinâ Gratiâ spoliet.

Qui autem isti sint homines, qui mihi tantam molestiam, & tantum damnum intulerunt, ut in præsentiâ patefaciam, aut eorum manifestatione preciosum tempus feram, neutiquam opus est; præcipuè cum ejusmodi perversi homines, suis propriis indiciis seipsos, tanquam sorices, propediem sint prodituri. Nulli igitur hic alii rei operam dabo, quam meorum Scriptorum explanationi, & declarationi; reliqua Deo & tempori commendans, quæ in apertum quoque venient, quando Divinæ Potentiæ placuerit.

Primò autem, ut Appendicis meæ, Quintam Prosperitatis Germaniæ Partem declarantis,

mentionem faciam, in eâ adeò evidenter, & cum omnibus ſuis circumſtantiis, tria promiſſa, & publicè demonſtrata Secreta deſcripſi, ut in poſterùm non modò facilè, & utiliter effectui poſſint dari, ſed etiam ne gry quidem à quoquam contradici queat. Facili negotio is, quem rixandi libido inceſſerit, quamcumque cauſam vel leviſſimam, alicujus controverſiæ, & litis invenerit, ac cum lupo ovem accuſaverit, quod aquam turbidam reddat, quamvis ea infrà ipſum ſtans iniquiſſimè accuſetur. Sic quis facilè dixerit, Incinerationem à me deſcriptam, magnis moleſtiis obnoxiam, haud multum Auri, atque Argenti depromere, ſicut nonnulli, aut ex merâ ignorantiâ, aut ex propoſitâ malitiâ ſparſerunt.

His ſine ullo negotio ire obviam poſſum, ſimpliciter tantum rogans, quot ad operationem pondo adhibita ſint. Si dicunt 20. 30. 40, aut etiam 50, ex quibus tàm parum Auri, aut Argenti acquiſiverunt, ſibi perſuadentes, ſi aliquot Plumbi libras ad operationem uſurpaverint, mox magnam Auri maſſam inde prodituram, minimè cogitant, ominò neceſſarium eſſe, ut ille, qui parum ſeminis terræ mandavit, etiam parum frumenti demetere ſoleat. Deſcripta enim Plumbi, & aliorum metallorum Incineratio, & Reductio, ſi quid commodi afferre debet, non aliquot duntaxat libras, ſed plures Centenarios requirit. Majorem quoque quæſtum confert, ſi non vendibile illud, & jam excoctum Plumbum, ſed tantum feræ,

feræ, & Antimoniales venæ Plumbeæ, nullum Plumbum excoctione vulgari reddentes, ad ejusmodi assumantur operationes, eo pacto majore lucro abundaturas, si plures Centenarii simul laboribus subjiciantur. Ad experimentum faciendum, an ejusmodi operatione aliquâ Aurum & Argentum elici queant, 20. 30. 40. aut 50. libræ sufficiunt, Plumbumque vulgare usurpari potest. Sed Operationis meæ scopus est, ut illæ duntaxat mineræ & venæ Metallicæ, quæ feræ existentes, ac plumbum, cuprum & ferrum continentes, nulla ratione excoqui possunt, ac proinde nullum emolumentum conferunt, cum utilitate Aurum & Argentum exhibeant. Exemplo res fiet clarior: Goslariæ in Brunwicensi agro, Plumbi vena admodum fera, & omnem fusionem ferè respuens, quæ volatilem lapidem Calaminarem & Zincum continet, non parvâ sed ingenti copiâ, in decem aut duodecim fornacibus liquatur; Attamen adeò pauper & inops est, ut ejus Centenarii 60, aut 70. vix tres Plumbi centenarios, & hi tres centenarii ægrè decem aut duodecim lotones Argenti suppeditent. Accedit quod illa ipsa minera non per se, sicut aliæ Plumbi mineræ ad liquationem deduci possit, sed additionem requirat Scoriarum Plumbearum, ex aliis officinis fusoriis, per aliquot milliaria, non sine sumptibus, advehendarum. Omnibus his laboribus expeditis Plumbi, & Argenti tam parum acquiritur, ut omninò mirum sit, quo pacto tantus labor cum lucro exer-

ceatur, qui hactenus per multas annorum centurias cultores suos haud exiguo commodo, ditavit. Sed commodum hoc inde proficiscitur, quod tales mineræ ingenti copiâ, & continuis laboribus excoquantur. Si excoctores illi idem fecissent, quod illi fecerunt, qui meam Incinerationem tentantes, post laborem perperam peractum, & malè administratum, non statim magnarum Auri massarum compotes facti sunt, ac ideò ex merâ ignorantia, aut etiam nimiâ malitiâ, totam operationem, tanquam inutilem, rejecerunt, ac diffamarunt, tot annorum centuriis hactenus tanta Plumbi & Argenti copia, ex dictis venis metallicis, in dicto loco eruta, & excocta non fuisset. Qui de hac excoctione plura nosse desiderat, Lazarum Erckerum, prolixè eandem describentem consulat.

Eum autem in finem excoctionis ejusdem hoc in loco meminisse consultum mihi visum fuit, ut imperitis ostenderem, quo pacto ex ejusmodi laboribus, quis alicujus momenti commodum, & lucrum aucupari queat, videlicet indesinentibus laboribus; & insigni copiâ opus tale exercendo. Non una, sed plurimæ guttæ pluviam colligunt, ex quibus tandem rivus ortus magnam multitudinem aquarum effundit. Malè igitur faciunt, qui aliquam rem contemnunt, cujus neque cognitionem, neque peritiam habent.

Porrò ut iis etiam satisfaciam, qui Incinerationem meam, ut laboriosam, ac non satis Auri, atque

atque Argenti reddentem, rejiciunt; atque prolixitatis nimiæ accusant, subjungam hic aliam, & longè compendiosiorem Incinerationem, quæ largiore Auri & Argenti lucro, quam illa prior à me descripta, operatores locupletare potest. Ideò autem eam manifesto, ut nullâ omninò ratione aliquis mihi contradicat, & prolixitatis tantum opus incuset, nisi Midæ asini auriculas habentis frater fuerit, de cujus insatiabili fame Auri Poëtæ fabulantur, Deos precatum esse stultum, ut omnia, quæ attingeret, in Aurum converterentur. At voti compos factus, cum omnia, quæ attigerat in Aurum mutata essent, tandem fame laborans, & cibum capturus, idem Aurum evadebat, unde factum est, ut fame periens, stultum suum votum nimis serâ pœnitentiâ, & vano luctu defleverit.

Hâc fabula Poëtæ voluerunt docere, quod Deus, ad usum hominibus necessarium, Auri & Argenti divitias mortalibus largiatur, sed ejus nimiam famem, atque insatiabilem cupiditatem vehementer detestetur.

Quantum ad alteram operationem vilium, & minimas impensas requirentium aquarum operâ, ex pauperibus terris metallicis, quæ liquationum sumptus ferre non possunt, Aurum & Argentum extrahendi attinet, ea in Appendice Quintæ Partis Prosperitatis Germaniæ, satis apertè & clarè tradita est, ità ut unusquisque leviter duntaxat ignem tractandi peritus, oculis videre, & mani-

 bus

bus palpare poſſit utiliſſimam, & ubique tractatu facillimam inventionem & operationem eſſe. Niſi forſan aliquis objicere vellet, quod talis Extractio, vitreis, aut lapideis cucurbitis perficienda, non ſufficienti copiâ exerceri queat. Huic reſpondeo, licet neceſſitas requirat, ut ad talem Extractionem lapideæ, aut vitreæ cucurbitæ adhibeantur, iiſdem tamen magnam venarum metallicarum copiam ſingulis ſeptimanis extrahi poſſe, ſi modò plures ejuſmodi cucurbitæ uni furno imponantur, & eorundem furnorum tot extruantur, quot alicui conſtruere aut placuerit, aut ſufſecerit. Ac quoniam vaſa hæc admodum raro franguntur, quando ad ſiccitatem aquæ non abſtrahuntur, ac ipſæ aquæ, ad Extractionem neceſſariæ, exiguis, aut ferè nullis impenſis conſtant, imò laborum continuatione incrementa ſumunt, & unus homo facilè aliquot centum vaſa regere poteſt, cur quæſo fieri non poſſet, ut ingens arenæ, & lapidum vis dicto modo, extrahatur?

Imò ſi ad talem extractionem apta terra nulla, aut etiam nullæ cucurbitæ vitreæ alicui ſuppetant, quarum tamen nulla unquam exiſtit penuria, alios tamen modos copioſè extrahendi terras illas metallicas, ſine ullis vaſis & cucurbitis, cernendos exhibui, nimirum ope quorundam inſtrumentorum, & quidem ejuſmodi emolumento, quod ex Auro & Argento, ferè nullis ſumptibus conſtante, proveniens, ab omnibus impenſis, ſi ſolum ignem excipias, immune eſt. Quis unquam

unquam propiorem & commodiorem ad tantum emolumentum perveniendi viam optare posset? Assertionem itaque meam toties iteratam repeto, fieri omninò posse, ut minerarum sine omnibus impensis, uno igne excepto, insignis copia extrahatur.

Equidem fateor, brevem hanc viam, in Primâ Centuriâ, ut & Appendice Quintæ Partis Prosperitatis Germaniæ, non ita clarè & perspicuè descriptam esse, ut quivis eam facili negotio percipere queat. Cur illi qui in hujus operis exercitio, cucurbitis perficiendo, voti sui compotes facti sunt, Extractiones suas aliis modis, quorum multi sunt, unus tamen alio facilior & compendiosior, non perficiunt?

Cum aliquando quidam mihi diceret, minerarum Extractionem, per ejusmodi aquas minimè sumptuosas magni quidem momenti, & summæ utilitatis Inventionem esse, sed longè majoris emolumenti fore, si cucurbitas ab operatione removere integrum esset: Ipsi in Laboratorium meum deducto tale instrumentum monstravi, quo viso mihi mox fidem adhibuit, asserenti, Auri & Argenti, atque Cupri Extractionem talem, sine vitreis, & lapideis cucurbitis, ex magno minerarum numero, admodum facilè, & ferè nullis impensis fieri, ac utilissimæ hujus inventionis adjumento, etiam aliquot Centenarios terrarum Auri, Argenti, & Cupri metallicarum, duarum aut trium horarum spacio dissolvi, & extrahi

A 6 posse:

posse: Porrò item duarum aut trium horarum intervallo, Metallum extractum adeò facilem & promptam à Menstruo separationem sine ulla præcipitatione admittere, ut ne minimus quidem ejus scrupulus relinquatur, atque nihil omnino de aquâ ipsâ intereat. Imò tàm facilem esse operationem hujus separationis, ut etiam duodecennis puer eadem esset defuncturus, si ipsi semel tantum monstrata fuerit. Res sunt profectò inauditæ, ac planè incredibiles omnibus imperitis, quarum cognitione mortales ingrati haud immeritò indigni judicantur.

Quandoquidem verò adhuc homines reperiuntur, grati animi memoriam recolentes, licet admodum raro & infrequenter occurrant, injuria profectò summâ afficerentur, si in eodem cum malis gradu positis, par incommodum ferendum esset. In eorum igitur gratiam, Patriæque commodum, tâm utilissimam Inventionem manifestare operæ precium duxi.

Annon magni momenti res est, tribus, aut quatuor horis, Auri, Argenti, aut Cupri magnam vim remotis omnibus vasis lapideis & vitreis, ex terris suis metallicis extrahere, extractumque metallum ab aquâ suâ usque ad siccitatem separare, ut nec minima Metalli, & Aquæ solventis pars pereat? Adde, si Auri, Argenti, & Cupri mineræ separatæ, & singulæ in promptu essent, quod tamen omnes tres simul & unà, uni & eidem instrumento imponantur, & quævis, sine mixtione

cum

cum alterâ, tàm paucarum horarum ſpacio, ſigillatim extrahatur, atque quodvis metallum purum, & aqua ipſa pura, ſine ulla alterius mixtione, exhibeatur. Quod licet fieri nunquam poſſe videatur, ipſiſſima tamen eſt veritas, & veriſſima operatio, quæ propediem Deo volente in omnibus Mundi partibus, in æternam mei memoriam, ſummo cum emolumento exercebitur, rumpantur ilia omnibus inimicis meis, qui tàm injuſtè, & tàm falſò me apud ſummos & imos fallaciarum & mendaciorum accuſarunt, & hanc per aquas humidas ex pauperibus, & inopibus mineris extractionem, falſam atque impoſſibilem eſſe, plenis buccis clamarunt.

Quando igitur præſtantiſſimæ, & utiliſſimæ Inventiones meæ in plurimis locis, ſummo cum emolumento effectui dabuntur, & ipſa veritas toti Mundo innoteſcet, tunc tempus erit, diabolicorum & convitiis turpiſſimis refertorum Scriptorum, quæ impii & maleferiati homines contrà Perſonam meam evomuerunt, autographa in certa loca mittendi, & videndi, an etiam honeſtè ii egerint, qui nullâ occaſione datâ impulſi, tam perfidè, & impiè, honeſtis hominibus honorem, & bona ſua eripiunt. Honorem inquam, & bona, quod Deo volente iis in locis probabo & demonſtrabo, in quibus mihi neceſſarium & utile erit.

Fas quidem, meo judicio ſimplici, & nemini quicquam præſcribente, eſſet, ut vero intellectu pollen-

pollentes Chriſtiani, præcipue verò ii, qui præter alios à Deo eximiis virtutibus, & ſingulari cognitione præditi ſunt, paraſitis, & gnathonibus ejuſmodi, qui convitiis & calumniis ſuis honeſtorum hominum famam bonam proſcindere conantur, non tam facilè fidem adhiberent, ſed alteram aurem illi audiendo conſervarent, qui tam injuſtè Theonino dente roditur, ut ità palàm fieret, quiſnam injuſtè faciendo alterum injuriâ affeciſſet. At, proh dolor, ſic cum curſu mundano comparatum eſt, ut nihil aliud ſecum ferat, quàm quod tamdiu apud Mundum & mortales in more poſitum fuit, quamdiu hactenus ipſe Mundus duravit. Legatur antiquiſſimum illud Poëma, quod Aureum Alphabetum vocatum, & vivis ſuis coloribus mortalium indoles & ingenia depingens, in fine hujus Opuſculi apponere haud inconſultum & abſurdum judicavi, ut unicuique ex eodem perſpicere liceat, quàm fœdis perſecutionibus mendaces rictus veritatem omni tempore vexaverint. Docet idem incomparabilis doctrinæ Vir Eraſmus Roterodamus, in doctiſſimo ſuo de Lingua libello, ubi hanc materiam prolixe tractat. Libello inquam doctiſſimo, & præſtantiſſimo, cui parem, Sacrâ Scripturâ exceptâ, nec vidi, nec legi, ideò digniſſimum cenſens, quem unuſquiſque pius paterfamilias liberis ſuis prælegat, aut prælegendum injungat, ut ex eo ſaluberrimas doctrinas haurire poſſint. Expertus autem & ipſe eſt quantas calami-

lamitates indomita, & falſa Lingua mortalibus inferre ſoleat, ad cujus Scriptum dictum quemvis remitto.

Adhuc alia ſe offert Objectio, minerarum Auri Extractionem vellicans, cujus ſolutionem hîc quoque neceſſariam eſſe arbitror.

Poſtquam nonnulli naſuti homines, qui emunctiores nares ſibi arrogant, meam Primam Appendicem Quintæ Partis Proſperitatis Germaniæ inſpexerunt, ac viderunt, Aurum ſolutum Liquore Silicum, & Lixivio, aut Spiritu Urinæ ad fundum præceps deturbandum eſſe, confeſtim rem impoſſibilem pronunciarunt, ac penitus negarunt, omne Aurum ex Aquâ Regis per Spiritum Urinæ, aut Liquorem Silicum ita perfectè præcipitari poſſe, ut nihil planè in Aquâ eadem remaneat. Hoc errore ſuo facili negotio ſe expedient, ſi poſt Aurum ex Aquâ Regis penitus per Silicum liquorem, aut, quod melius eſt, per Spiritum Urinæ præcipitatum, ipſam Aquam Regis uſque ad Salem ſiccum abſtraxerint, ipſumque Salem in crucibulo liquaverint. Nam ſi non Aurum, ſed merum Salem deprehendent, omninò certi, & ſecuri eſſe poterunt, nihil penitus de Auro in Aquâ reliquum manſiſſe. Si autem adhuc certiores reddi cupiunt, liberum ipſis erit, Aquam Regis per diſtillationem, aut evaporationem ab Auro Soluto abſtrahere, ut hoc pacto omne Aurum in fundo reſidens retineant, & omnem ſuam Aquam Regis ſine ullo detrimento recuperent.

Quo-

Quoniam autem talis Abſtractio periculis eſt obnoxia, utpote facili negotio damnum inferens, dum ex vitro rupto Aurum ſolutum in cineres ſe effundit, ideò Abſtractioni Præcipitatio præferenda eſt, ſi talia vitra haberi poſſunt, quæ omnem effuſionem prohibent, quorum paſſim in Scriptis meis mentionem feci.

Qui vero tàm artificioſum inſtrumentum conſequi poteſt, quod, ut paulò ſupra dixi, ſine vitris omnibus, cunctos Spiritus per diſtillationem elicere, & omnes Metallorum Extractiones inſigni copiâ perficere, ipſumque Solvens ſine ruptionis, & effuſionis periculo ullo, & abſque omni detrimento reddere poteſt, ille, meâ ſententiâ, longè melius faciet, ſi Abſtractione ad Aurum recuperandum utatur, & omittat Præcipitationem, quam aliàs in dicti Inſtrumenti defectu, ad Aurum ab Aquâ Regis per Salia fixa, & Spiritum Urinæ liberandum, longe commodiorem & ſecuriorem eſſe fateor. Ac ſi quis eſſet, qui non ſatis ipſam hanc Præcipitationem tractare poſſet; Is poterit ab Auro per Lixivia, Liquorem Silicum, aut Spiritum Urinæ præcipitato omnem humiditatem diſtillando abſtrahere, ut inter abſtrahendum omne Aurum ex Sale ſe removeat, quod per calidam aquam affuſam à Sale liberatur, & ne minimum quidem amittit. Sed tale Aurum, quod per Liquorem Silicum non eſt præcipitatum, fulminat. Sales ab Auro liberati Salempetræ largiuntur.

NB. Hoc

NB. Hoc oportet cognitum faciam, & unicuique manifestem, sub Auri Præcipitatione summa Secreta latere. Nonnulli enim Liquores, ut Silicum Liquor, Spiritus Urinæ, omne Aurum semel & simul ad fundum præceps deturbant: Alii dissimiles Auri partes, & aut viliores, aut nobiliores præcipitant: Quidam illud planè relinquunt. Sed de his pluribus verbis hoc in loco sermocinari mihi non lubet, cum in præsentiâ sufficiat dixisse, quo pacto Aurum, sine ullo detrimento, ex Aquâ Regis præcipitandum sit. Cui Præcipitatio non arridet, ille Solvens ab Auro per Abstractionem separare, aut alios meliores modos inquirere, & ad usum suum adhibere poterit, si modi à me monstrati ipsi displicuerint.

Tertium à me promissum, & in Laboratorio meo demonstratum Arcanum, ex omnibus, quæ ubique reperiuntur, rebus ingentem boni Salis petræ vim conficiendi, in Appendice meâ Primâ satis declaravi, & verissimum esse demonstravi. Calcis vivæ & Salis communis ubique maxima copia reperitur, quæ duæ materiæ, unà debito modo, ut docui, combustæ, & aquâ pluviâ, aut potius urinâ humectatæ, atque ità Soli & aëri expositæ, ut pluviam excipere nequeant, sed mutatis vicibus humectari, & exsiccari possint, Solis atque Aëris vires operantes excipiendo, bonum Salempetræ, progressu temporis ex se nascentem, exhibent. In Aëre nimirum Salis petræ Semen

occultum hæret, & longo temporis progressu in Sale sibi corpus adsciscit, id quod tamen, antequam fiat, multum temporis requirit.

NB. Sed huic Sali, eâ ratione, quâ diximus, præparato Salispetræ alicujus Semen addatur, aut inseratur, Salispetræ messis tàm diu non erit exspectanda, cum paucis mensibus, aut septimanis illud fieri possit. Prætereà tale additamentum in infinitum durat, utpote quod ex aëre sibi indesinenter augmentum attrahit, quotiescunque etiam per elotionem extrahantur.

De hoc Salispetræ semine præcedens Appendix mea prolixè tractat, evidenter demonstrans, nihil aliud esse, nisi Aquam Fortem, aut Aquam ad elotionem Salispetræ usurpatam, cujus ingens copia haberi potest, quando terræ Metallicæ per acres aquas extrahuntur, quæ nullâ ratione commodius ad usum adhibentur, quam si adjungantur Sali alicui parato, in quo quasi seminatæ, centuplici augmento se augere solent. Nàm una libra Aquæ Fortis, parvo temporis spacio, aliquot inversi & mutati Salis libras, in Salempetræ convertere potest, quæ pretio Aquam Fortem longè superant. Quod cum indesinenter, & in infinitum fieri queat, maximus profectò fructus inde repetetur, etiamsi vel ipsa Aqua Fortis ad hunc solum usum parari debeat. Si autem prius talis Aqua ad Minerarum extractionem, aut alium quemvis usum, qui jam ipsius impensas largo lucro compensavit, adhiberetur,

ac

ac poſteà Sali alicui inſereretur, annon magnum alicui emolumentum, Salispetræ multiplicatione illâ, collatura eſſet.

Væ vobis impiis hominibus ultimi judicii tempore, niſi reſipiſcentes pœnitentiam egeritis, qui evidentiſſimæ, & notiſſimæ Veritati, tàm Diabolicâ petulantiâ obſtrepitis, & nec Deum nec homines reveremini. Nec virtus, nec jus, nec ulla integritas in Mundo, nec Deus in cœlo eſſet, ſi tantam impietatem impunem auferretis.

His tertium Arcanum adhuc ſemel, verum & indubitatum eſſe, demonſtravi. Ac licet omnes mendaces Diaboli mei inimici eſſent, ſicut etiam ſunt, nec alii eſſe poſſunt, utpote qui naturâ ad oppugnandam veritatem proni comperiuntur, omnes tamen ſuſque deque habeo, & nihili facio. Veritas enim premitur, ſed nunquam opprimitur, nec Deus, ut ipſa Veritas, unquam permittit, ut ſui penitus opprimantur.

SECUNDÆ CENTURIÆ

PRIMUM ARCANUM.

Quo pacto imperfecta, fera, & quasi ad usum, & venditionem inepta Metalla, communi Sale & Igne maturanda, aut emendanda sint, ut cum emolumento & fructu, Aurum, & Argentum expromant.

IN præcedente Primâ Centuriâ, ut & Appendice Quintæ Partis Prosperitatis Patriæ Incinerationem, sive Reductionem in Cineres descripsi, quæ carbonas, in peculiari furno, ad torrendum adaptato peragitur. Hæc licet laboriosior sit, & prolixitate sua laboret, emolumento tamen suo non caret, si non vendibilium, ut jam sæpius dixi, minerarum, & metallorum insignis copia ad eam usurpatur. Sed ut talis Incineratio faciliore & compendiosiore ratione instituatur, sequenti modo fieri posset.

Ex bonâ & aptâ terra, suprà firmum fundamentum construe focum, fornicemque ex bonis lapidibus impone, furnumque adjunge, ex quo ignis structus flammam suam suprà focum totum, ac inde per caminum, eum in finem factum, emittat Huic foco impone terras illas metallicas, lapide molari fractas, ac sale, & carbonibus in pulverem redactis commixtas, ac per 20,

aut

aut 24. quatuor horas relinque, ut omnes in universum probè candeant, & igniantur. Ità enim Sal, fugitivum Metallum aliquâ ratione constans, & igni ferendo par reddit, ipsumque Sulphur ferum, relictâ minerâ metallicâ, sali se associat, & illum in Vitriolum, aut Salem Mirabilem convertit. Hic igitur 20, aut 24. horarum candor feris illis venis metallicis constantiam, & fluxum conciliat, ac simul illo labore Salem aptum reddit, ut facili mutatione postea in bonum Salempetræ abeat.

Posteaquam dictæ mineræ per cementationem dictam, emendationem suam acquisiverunt, ferreis uncis & instrumentis ex foco extrahendæ, & huic novæ ac recentes mineræ, Sali & carbonibus immixtæ, imponendæ, ac eodem, quo diximus modo tractandæ sunt.

Extractæ mineræ in molâ franguntur, & ex ipsis fractis Sal communi aquâ eluitur, postea usurpandâ ad Salispetræ confectionem, quam in Appendice docuimus.

Carbones leves, & inutilis terra à Metallicâ parte per aquam separatur, & hæc pars Metallica, sive limus gravior in furno, qui Stichofen nominatur, reductus ac fusus, luculentum & quæstuosum Metallum expromit.

In plurimis Germaniæ locis nonnunquam feræ, fugaces, & non fusibiles mineræ Plumbi reperiuntur, quæ Sulphur, Antimonium, aut Lapidem Calaminarem continentes, in furno,

Stichofen nominato, ſe reduci non patiuntur, ſed aut in fumum, aut in ſcorias àbeunt. Sed dicto modo prius toſtæ, & ad liquationem paratæ, Plumbum complectens Argentum cum lucro expromere poſſent, cum aliàs ſine ullo fructu tractari, atque ideò relinqui ſoleant. Hæc itaque Incineratio ad tales degeneres mineras cum fructu adhibetur.

Cum vendibilibus, & bonis Metallis, ſi quid commodi ex ipſis per Incinerationem quis eruere deſiderat, ſequenti ratione comparatum eſt.

II. *Quodvis Plumbum in cinerem redigendi, & Spiritibus Salis ita tractandi Modus, ut cum quæſtu Aurum & Argentum ex ipſis erui queat.*

IN Primâ meâ Centuriâ prolixè docui, in Metallis maturandis, aliiſque Operationibus Chymicis majorem Ignem minore viribus fortioribus pollere, quod intellectu facile eſt iis, qui aliquo duntaxat ingenio præditi ſunt.

Inutiles & feras terras Metallicas crudo & craſſo Sale maturare, & emendare modò docui. Quia verò Sal craſſus eſt, & debilis Ignis, neceſſariò tantas vires non exerit, quantas fortior Ignis exercere ſolet.

Fortiorem igitur communi Sale Ignem deſiderantibus, purior pars ex crudo Sale, artis ope, educenda, & à ſua craſſitie; & impuritate ſeparanda eſt, id quod diſtillatio facili labore expediet.

diet. De his Ignibus Salium, copiose acquirendis, Scripta mea, ac cumprimis præcedens Prima Centuria, luculenter & perspicue agunt, & hæc Secunda Centuria pluribus adhuc tractabit.

III. *Operatio Plumbum incinerandi, sive in cineres reducendi.*

FUrno alicui opere Cæmentario constructo impone fortem ollam ferream, eo plane modo, quo Cupellæ arenariæ confici solent, cum crate ad struendum Ignem aptâ, majore aut minore, prout majorem aut minorem ollam imposueris, vel multum, aut parum Plumbi in cineres mutare volueris. Subjecto Igne ollam candefac, plumbique tantum immitte, quantum ad tegendum ollæ fundum requiritur. Cochleari ferreo, & longum manubrium habente, indesinenter fusum plumbum in ollâ move, quod duarum circiter horarum spacio in cineres convertetur. Hos exime, aliudque Plumbum in ollam conjice, ac toties laborem hunc itera, donec cineres sufficientes consecutus fueris.

Hi cineres Plumbi apti sunt, ut à Spiritibus Salis emendationem recipiant, & postea per liquationem Aurum & Argentum cum fructu exhibeant.

IV. *Plumbi Cineres per Spiritus Salium emendandi, & inde Aurum & Argentum, cum quæstu, eruendi Modus.*

PRimo Salis Spiritus, aut Aquæ Regis copia in promptu habenda eſt, de quorum acquiſitione facili, in præcedente Appendice prolixam mentionem fecimus, & adhuc in præſenti Secundâ Centuriâ pluribus agemus. Præter eâ quoque diſpiciendum erit de rubris, aut ſubrufis ejuſmodi ſilicibus, quæ præter ferrum, etiam Aurum fugitivum in ſe continent. Ex his per Spiritum Salis, aut Aquam Regis ellicienda eſt Tinctura eo modo, quem in Primâ Centuriâ, & Appendice Quintæ Partis Proſperitatis Germaniæ prolixè tradidi, & adhuc clarius & compendioſius in hâc Centuriâ docebo.

Hæ Extractiones affundendæ ſunt Plumbi cineribus, ut iiſdem probe humectentur. Inutili Phlegmate per remiſſiorem calorem evaporato, Ignis augendus, ut etiam Spiritus ſequantur, quorum graviorum adhuc ſatis multi in pyxide Cementatoriâ Secretâ remanent, & operationi debitæ in Plumbum ſufficiunt,ut ita emendatum, poſtea Auro & Argento expromendo lucrum pariat. Qui laborem hunc majore cum fructu exercere cupiet, voto ſuo ſatisfaciet, ſi bis aut ter tales Extractiones cineribus Plumbi affuderit, ut ab iis concentrentur, antequam in pyxide Cemen-

Cementatoriâ cementenur, & in emendatum Plumbum reducantur. Hâc enim ratione omnes labores, & impensæ largius compensantur, & opulentius lucrum acquiritur.

Atque hæc est Cinerum Plumbi confectio, sive jam per se, sive aliorum Metallorum adjumento in melius Metallum per cementationem convertendi sint.

V. *Brevis Descriptio Secretæ Pyxidis Cementatoriæ, nullam effusionem admittentis, & Hermetis Sigillo munitæ, cujus in Primâ Centuriâ mentio facta est.*

EX lapidibus & argillâ, sive terrâ figulinâ talem furnum construe, qualis ille est, quem in Secundâ Parte Furnorum meorum, ad Spiritus Salis confectionem necessarium descripsi. Inferior tamen ejus pars sit aliquantò Majoris latitudinis, ut Metalla carbonibus superjecta, furni parietibus non adhæreant, atque ità damnum sentiant, sed rectà per prunas decidant. Quadratam autem figuram habere debet, magnitudine suâ proposito tuo respondentem, prout vel majorem vel minorem Metalli copiam in eo cementare in animum induxisti.

VI. *De Pyxidis Cementatoriæ Operculo, qualis eſſe debeat, ut nihil in fumum abire patiatur.*

OPerculum hujus Pyxidis Cementatoriæ, quod ex Luto Sapientiæ factum dixi, non eſt propriè operculum, ſed Plumbea arca, inſerviens receptioni Spirituum illorum, qui ex Plumbi cineribus ab igne ſurſum propelluntur. Plumbeum hoc receptaculum, alii plumbeo, ſeu alteri arcæ plumbeæ, aqua communi repletæ immiſſum, canali, ſeu fiſtulæ ex Furno exeunti, eo pacto aptandum eſt, ut aſcendentes, & introeuntes Spiritus per aquam refrigerari, eò citius condenſari, & ad ulteriores uſus colligi poſſint.

VII. *De hujus Secretæ Pyxidis Cementatoriæ uſu, & utilitate.*

ALiquis Plumbi Cineres, à quibus Silicum coloratorum Extractiones aliquoties abſtractæ ſunt in dicta Pyxide Cementatoriâ cementaturus, gradaturus, aut effecturus, ut Argentum & Aurum contineant, furnum carbonibus ligneis impleat, ac ſenſim ignem ſtruat oportet, ut fornax probè incaleſcat; quem in finem tàm diu operculum ſuperius removendum eſt, ut nec calor, nec fumus ad latus abiens, per fiſtulam in appoſitam arcam Plumbeam ſe recipiat.

Ubi fornax probè incaluerit, ac jam cementationem

tionem incipiendi tempus fuerit, operculo fornax superius claudenda est, ut calor per fistulam exire in recipiens vas cogatur. Hoc facto, præparati Cineres plumbi, ferreo cochleari, per anterius furni foramen, quod injiciendis carbonibus inservit, carbonibus candentibus ità sunt imponendi, ut carbones cineribus quidem tegantur, sed non suffocati, aërem ad ardendum necessarium retineant, & ignis non extinguatur, perinde sicut Spiritus Salis distillari solet. Hoc pacto Spiritus omnes, in Plumbi cineribus adhuc residui, in vas recipiens se conferunt, & plumbi cineres per cementationem à Spiritibus graduantibus, & tingentibus emendantur, atque partim in corpus reducti, partim adhuc cineris formam retinentes, per cratem in fundum furni decidunt. Postea furnus iterum carbonibus repletur, & novi cineres, ut anteà, ipsis cochleari imponuntur, laborque hic tamdiu continuatur, donec omnes cineres consumpti fuerint.

Omni labore finito, cineres, cum plumbo in corpus reducto, exempti, in fornace, cui Stichofen nomen, liquantur, liquatu admodum faciles, & eorum pars aliqua parva examini subjicitur, ut omninò hac ratione exploretur, an satis divites in litargyrium mutari, & separationem metallicam ferre queant. Si examini nondum suffecerint, idem Plumbum in ollâ ferreâ in cineres convertitur, laborque prior de integro repetitur, idque toties, donec tandem Plumbum

ſatis dives Argenti & Auri redditum, in focis ſolito more in litargyrium converti, & ab Auro, atque Argento ſecerni queat. Litargyrium detractum, & collectum, ac in molâ fractum, ulteriori uſui in hâc operatione inſervit. Regulus Auri & Argenti in foco reliquus, eximitur, & in cupellis, ſolito more, porrò mundatur.

Hæc eſt compendioſior Incineratio & Reductio Plumbi, cujus emendatio talis, operatores Auro & Argento locupletat.

NB. In hac Cementatione acres Spiritus, plumbi fugitivi aliquid, ſecum in vas recipiens avehunt, quod receptaculi fundum petit. Hoc à ſpirituum acrimoniâ, requiſitis lotionibus, liberatum, atque exſiccatum ad omnes eas operationes uſurpari poteſt, ad quas Saturni Mercurius adhiberi ſolet, qui ſolutione per Aquam Fortem, & præcipitatione per Aquam ſalſam paratur.

NB. Hic diſtillatus Mercurius plus in receſſu habet, quam alius, cum Aurum fugax reconditum gerat, quod ab ipſo ſeparari, & ad aliorum Metallorum gradationem & tincturam, haud exiguo cum emolumento, adhiberi poteſt, de quo poſteà plura dicentur.

Sic habes, Amice Lector, meam compendioſiorem Incinerationem, & Reductionem in meliora Metalla, quam te celare nolui, ità ſatisfacturus iis, quibus illa in Appendice deſcripta nimis laborioſa, & prolixa fuit, ut ejus loco hâc utantur,

tur, quæ facilior, plus Auri & Argenti, quàm illa, sine omni dubio largietur.

VIII. *Alia Plumbi emendatio per graduantes Extractiones Silicum coloribus imbutorum.*

Extrahe coloratos, & Aurum fugax continentes Silices, arenam, aut argillum per Spiritum Salis, aut Aquam Regis, ac liquorem per distillationem evoca. Si Salem addideris antè Extractionem, Solvens à Sale augmentum recipiet, præcipuè in tali Instrumento, in quo paucis horis, sine cucurbitis, & cæteris notis vasis distillatoriis, Extractarum Materiarum magna copia abstrahi, & ipsa operatio diu continuari potest. Hâc ratione non solum ne minimæ particulæ jacturam Solvens facit, sed etiam ex Sale haud exiguum incrementum sumit. Eodem quoque Instrumento acrium Spirituum, ad operationem tibi necessariorum, ab initio non solum magnam copiam parare, sed etiam mineras commodè extrahere, & solvens iterum ab extractis Mineris seperare tibi licet, adeò ut etiam Solventis tui ne minimum quidem damnum sentias.

Quoniam igitur tàm inaudito, ac nunquam viso instrumento, omne Aurum, Argentum, & Cuprum, multò facilius à suo menstruo, quàm per Præcipitationem separari potest, consultius omne est, & satius, ut quis Metalla extracta non præci-

præcipitet, ſed potius menſtruum ab iis abſtrahat, ut ità illis ſiccis potiatur. Ac licet non omnes, Spiritus ita abeant, ut nihil ex ipſis apud Metalla maneat, nihil tamen damni afferunt, imò potius adjunctum Litargyrium in altiorem gradum evehunt, ut & ipſos Plumbi cineres, quando in ſuprà deſcripto Furno Cementatorio una cementantur, in qua Cementatione fugax Aurum unà cum corporali conſervatur, quod aliàs in igne liquationis communis evaneſcit.

Si autem quis extracta ex pauperibus mineris Metalla, eo modo, qui Appendice præſcriptus eſt, præcipitare vellet, ut ex aquis, poſt præcipitationem reſiduis, Salem petræ conficeret, Calces Metallorum, ac præcipuè Auri admodum commodè, ſine ullâ jacturâ, ſequenti ratione reducere poſſet.

IX. *Solis Calcem præcipitatam, & ablutam, ſine ullo detrimento, reducendi Modus.*

IN Appendice Quintæ Partis Proſperitatis Germaniæ, Auri Præcipitatio per Lixivia, Liquorem Silicum, Spiritum Urinæ, Solutionem Mercurii ſatis dilucidè quidem deſcripta, ſed ob nimiam dicti libelli feſtinationem, Reductio ejuſdem ſilentio præterita eſt. Eandem igitur hic inſerere, & neceſſarium, ac operæ precium mihi viſum fuit, in eorum duntaxat gratiam, qui harum rerum cognitionem exiguam, aut ferè nullam

lam habent. Chymicis autem peritis ejuſmodi quid proponere ſi vellem, actum agerem, præcipuè cum ille Chymici nomen non mereatur, cui Reductio Calcis Solaris incognita eſſet.

Quia verò evenire poteſt, ut etiam imperitiores hanc Minerarum Extractionem aggreſſuri ſint, ac ignoraturi tamen ipſam Auri Reductionem, licet illud extraxerint; Ideò non inconſultum mihi viſum fuit illam Reductionem hîc deſcriptione meâ illuſtrare, quæ diverſa, prout præcipitatio hoc vel illo modo peracta eſt, etiam diverſas operationes poſtulat.

X. *Reductio Calcis Solaris, per Silicum Liquorem præcipitatæ.*

QUanquam Borrax quamcunque calcem Solis ad priſtinum ſuum corpus reducit, ſi illi miſceatur, ac in tigillo liquetur, nimis magno tamen precio conſtaret, ſi ipſius major copia ad reducendum requireretur, quia ejuſdem ad minimum duplo vel triplo plus, quam Auri, quoad pondus, talis Reductio deſiderat, ſi Aurum debito modo ſit reducendum. Ratio eſt, quia in præcipitatione Silices cum Auro ſimul fundum petunt, atque ita Auro adhærentes, ejuſdem fluxum impediunt, adeò ut idem non rectè in debitum ſuum corpus coire queat. Hinc neceſſarium eſt, ut Borracis duplo vel triplo plus Auro adjungendum ſit, ſi omne Aurum in ſuum priſti-

priſtinum corpus, ſine detrimento, reverti debet.

Sed quia etiam aliæ materiæ, Aurum fuſibile reddentes, inveniuntur, quæ minore, quàm Borrax, precio conſtat, jure ac meritò, præ Borrace, illarum uſus admittitur, inprimis quando magna vis Auro reducenda eſt. Aliàs ſi parum Auri reducendum eſt, & prædictæ materiæ in promptu ſunt, ad parvum aliquod examen quis Borracem adhibere poterit. Ad majoris copiæ reductionem verò ſequens materia Borrace longè commodior & utilior invenietur.

X I. *Quomodo Silicum Liquore Aurum Præcipitatum, ſine Borrace, ſolo Plumbi vitro longè minoris precii, liquandum ſit.*

℞. AUri per Liquorem Silicum præcipitati, & exſiccati unam, & Vitri ex plumbo confecti, atque in pulverem comminuti 3. partes, quas probè cum Auro commixtas impones tigillo, aut crucibulo in aliud majus tigillum immiſſo (ad quam operationem Haſſica ſunt aptiſſima) ſi forſan ex interiore Aurum efflueret, ut in exteriore manens conſervetur. Naturâ ſuâ enim facilè Vitrum Plumbeum tigilla perforare ſolet. Immiſſo huic Duplici crucibulo, commixtas duas dictas materias continenti, in Furnum vento ignem alentem, qualis à me deſcriptus eſt, poſtquam operculo ſuo ipſum texeris, ſuppone carbo-

carbones, excitatoque igne per quartam horæ partem urge, ut probè cuncta colliquentur, ac posteà effunde, ut Regulum Auri uno aut altero ictu separes à Vitro Plumbi, quod omnem materiam Siliceam ad se attraxit, ac malleabile, purumque Aurum in Regulum abire ad fundum sivit.

NB. Si Vitrum Plumbi adhuc flavum, sicut ante operationem fuit, deprehenditur, signum est, omne Aurum ex ipso segregatum esse. Sin autem viridi colore apparuerit, omninò indicat, aliquid Auri adhuc sibi admixtum esse. Nam Aurum vitro admixtum, cœruleo colore se conspiciendum præbet, qui color cœruleus, in flavo Plumbi Vitro, in viridem necessario mutatur, quia omnis flavus & cœruleus color, commixtione suâ, viriditatem pariunt.

Has igitur Auri reliquias, ut Vitro Plumbeo etiam eripias, sequentem operandi modum usurpabis.

XII. *Quo pacto Plumbi Vitrum, Auri reliquias adhuc continens, tractandum sit, ut illas ex corpore suo dimittat.*

IN tigillo probè tecto liquefac Vitrum illud Plumbeum, cui adhuc Auri aliquid inesse putas, eique probè liquefacto, aliquid limaturæ ferri insperge, & virgulâ ferreâ movendo commisce, ac ità liquefactum per horæ quadrantem in igne

relinque, ut Vitri Sulphur ferrum corrodendo moriatur, ac Regulum Plumbeum dimittat, comprehendentem Aurum, quod in prima liquatione Vitrum retinuit, per Cupellam à Plumbo ſeparandum.

NB. Obſervandum autem hîc, ferri limaturam parcè ad hanc præcipitationem adhibendam eſſe. Quanto enim plus ferri adjicitur, tantò major Plumbi Regulus evadit, ideò etiam majorem Cupellam poſtulans, quod tamen neceſſarium non eſt.

Poſito enim, Vitrum Plumbi, in quo Aurum eſſe quis ſuſpicatur, libram unam pondere ſuo complecti, atque totam Quintam Auri comprehendere; Non tamen neceſſarium eſt, ut plus quàm unus loton Plumbi circiter ex ipſo in Regulum præcipitetur, ad quam præcipitationem non plus uno lotone limaturæ ferri requiritur Ut plurimum enim Regulus Plumbi ex Vitro præcipitatus, pondere ſuo reſpondere ſolet ponderi iſtius limaturæ ferreæ, quæ ad præcipitationem adhibita eſt, aut ut clarius dicam tantum Reguli Plumbei conſequeris, quantum ferri adjeceris. Reliquum Vitrum nigrum evadens, ad Auri liquefactionem porrò eſt inutile, non tamen abjiciendum, quia Scoriæ illæ, adhuc multum Plumbi continentes, adhuc inſerviunt uſurpatis, & comminutis tigillis, aut aliis feris, ac ægrè liquefactioni ſe ſubmittentibus venis metallicis, fuſibilibus reddendis, cum quibus commixtæ,

atque

atque Furno, Stichofen Germanis dicto, impositæ, non solum omne suum Plumbum dimittunt, sed etiam ex iis materiis metalla secum educunt, quæ ipsis in liquefactione admixtæ sunt. Cumprimis autem admodum utiles sunt ad Metalla illa liquefacienda, & reducenda, quæ non modò per se ipsa fusionem ægrè admittunt, sed etiam Stanni cineribus commixta tanto ægrius per fusionem ad pristina sua corpora se reduci patiuntur. In defectu autem talium Metallorum, & minerarum, quæ se per liquefactionem admodum difficulter domari sinunt, ejusmodi Vitro Plumbi nigro, quarta duntaxat limaturæ, aut Scoriarum ferri in pulverem comminutarum pars addenda est, ut ità commixta utraque materia, in Furno Stichofen, liquefiat. Sic Ferri adjumento omne Plumbum ad pristinum suum corpus revertetur, ac simul etiam ex Ferro eliciet, quicquid Auri & Argenti in ipso latuerit, atque hoc pacto ex hâc Vitrorum Plumbeorum Reductione fructus insignis percipi poterit. Præmisso autem examine Plumbum illud tentari debet, an satis Auri, ac Argenti dives, ferendo Separationis sumptui, par sit futurum. Si enim contrarium deprehendetur, ad Incinerationem anteà descriptam usurpandum erit, ut ità nec Auri, nec Plumbi ulla jactura fiat.

XIII. *Præparatio Vitri Plumbei, ad reducendum difficilis fusionis Aurum, quod per Silicum Liquorem præcipitatum est.*

℞. Albarum & fusilium Silicum unam, & Minii, sive alterius alicujus cineris plumbei, aut etiam ipsius Lithargyrii quatuor partes, quas separatim in pulverem comminutas commiscebis, in duplici tigillo forti probè colliquabis, & effundes, ut habeas Vitrum flavo suo colore Hiacinthum imitans, quod in pulverem redactum, Auri pulverem, fusioni repugnantem, fusibilem reddit.

XIV. *Alius Aurum per Silicum Liquorem præcipitandi Modus.*

Hujus difficilis fusionis Auri, quod per Silicum Liquorem ad fundum præceps actum est, uni parti admisce duas aut tres Lithargyrii partes, quas duplici tigillo forti immissas, & probè tectas, in Venti Furno accuratè colliquabis, ut Lithargyrium omnes silices ad se trahat, & Aurum omne segreget. Regulo Auri separato à Scoriis Plumbeis, has ipsas nonnunquam adhuc parum Auri secum retinentes, ferri limaturâ, ut modo indicatum est, in parvum Regulum Plumbeum præcipitabis, ut & illo Auro residuo potiaris. Scoriæ in Furno Stichofen, operatione jam dictâ, per reductionem conservantur.

X V. *Alius idem Aurum, per Silicum Liquorem præcipitatum, fusibile reddendi modus.*

℞. AUri dicti 1. & Salis ex Salepetræ ac Tartaro per combuſtionem, aut calcinationem concreti 3. partes, commiſce ac in crucibulo benè tecto colliqua. In hac colliquatione Sal Silices arripit, atque Aurum dimiſſum, fundum Repetit. Maſſam colliquatam effunde, ac Auri Regulum ſecerne à Sale, qui aquâ communi ſolutus, reddit Liquorem Silicum, ad alîus Auri extracti præcipitationem rurſus uſurpandum.

Hic Sal non tàm facilè crucibula perforat, quam Vitra illa plumbea, ideò inter tres modos præſcriptos, pro facillimo & optimo habendus.

X V I. *Aurum, per Spiritum Vrinæ præcipitatum, reducendi ratio.*

SPiritus Urinæ, aut Salis Ammoniaci, omne Aurum perfectâ præcipitatione, ex Aquâ Regis eruit, quod elotum & ſiccatum, alîus Auri more, ſe reduci non patitur, utpote quod parum duntaxat calefactum, antequam adhuc candefiat, mox flammam concipit, & longè horribiliore fragore, quam ullus pulvis pyrius, fulminat. Si enim ejus particulam piſo magnitudine tantum reſpondentem, in argenteo, ferreo, aut cupreo cochleari prunis impoſueris, ut incaleſcat, tàm

horribilem fragorem edit, ut etiam auditum obtundat, & ipsi cochleari foramen imprimat, ac si malleo factum esset. Hinc facile conjici poterit, si paulò major particula in tigillo igni imponeretur, quod tigillum, & furnum, ictu suo fulmineo, in minutissima frusta esset comminutura. Hinc cautione accuratâ opus est, ne periculum tantum subeatur, quod sequens operandi modus facili negotio avertit.

XVII. *Quâ ratione Auro per Lixivium, aut Urinæ Spiritum præcipitato, fulminantes suæ vires adimendæ sint.*

HUic per Lixivium aut Urinæ Spiritum præcipitato Auro, Sulphuris in pulverem redacti, dimidiam partem misce, ac inter prunas per combustionem idem Sulphur ab ipso remove. Sic enim fulminante illa vi spoliatum, fusionem promoventibus Materiis omnis generis, sine ullo periculo, reduci poterit.

XVIII. *Quo pacto Aurum, Sulphuris adjumento, vi suâ fulminante spoliatum, reduci queat.*

QUia hoc Aurum omni impuritate caret, materiarum fusibilitatem promoventium satis additione opus est, cum ad fluxum pronum per se existat. Ne tamen Auri aliqua granula tigillo adhæreant, consultum est, ut ipsi aliquid

quid ſaltem ejuſmodi materiæ, quæ fluxum accelerat, adjungatur. Excellunt hic Borrax, & ſiccus Liquor Silicum, quorum ſi vel dimidiam tantum partem, aut etiam Silicum cum Sale Tartari paratorum, tali Auro adjeceris, confeſtim eo pacto colliqueſcit, ut nihil omnino ſibi ex ipſo; aut Borrax, aut Silicum Liquor retineat.

Hæc ſunt, quæ de Metallorum compendioſiore Incineratione, & Emendatione, ipſiuſque Auro Præcipitati Reductione indicare, ſuperfluâ commemoratione, volui. Non tamen iis, quibus hæc ipſa jampridem cognita ſunt, ſed cæteris, qui illa nondum cognita, & perſpecta habent, ut ita his Operationibus, omnibus ſuis partibus perfectè deſcribendis, ne minimum quidem deeſſet.

Cæterum ſatis prolixa ſe adhuc Materia offerret, deſcriptione modi adhuc longè facilioris, & longè minorum ſumptuum, extrahendi pauperes & inopes Terras Metallicas, quæ impenſas requiſitas ſuppeditare non valent, tantum abeſt, ut quæſtum aliquem conferant. Facilior autem eſt, & longè minores ſumptus requirit, non tantum ratione facilioris apparatus aquarum, ad minerarum Extractionem neceſſariarum, ſed etiam proter artificioſiſſima inſtrumenta, quæ in terreorum, aut vitreorum vaſorum locum ſuccedunt, &, cum rariſſimè frangantur, longiſſimi temporis uſuram admittunt, de quibus jam in præfatione mentio facta eſt.

Nam, uti dictum eſt, non ſolum Aquæ, ad

Extractiones necessariæ, ex vilibus, & vilis precii Subjectis, non vitreis, aut lapideis cucurbitis, sed Instrumento quodam ex terrâ confecto, & longæ durationis, copiosè ac facillimo negotio parantur; Sed etiam eodem Instrumento magna minerarum multitudo extrahitur, ac Menstruum, haud exiguâ augmenti accessione locupletatum, recuperatur. Præterea idem Instrumentum ita comparatum est, ut simul diversa Metalla, diversis aquis extrahi, ipsaque illa sine unius cum altero commixtione ullâ, ac sine ullius particulæ detrimento, ab aquis simul separari possint. Fit hoc adeò compendiosè, & commodè, ut etiam peritissimis Artificibus res & incredibilis, & impossibilis videri posset, quamvis ipsi veritati maximè sit consentanea. Ipsius autem descriptione in præsentiâ nobis supersedendum erit, ob certas quasdam causas, ac præcipuè propterea, quod non satis commodè etiam describi potest.

Verissimè igitur, ut hactenus sæpè, assero, talis instrumenti ope non solum acres Spiritus tantâ copiâ parari posse, ut indesinenter, instar aquæ ex gutturnio, in vas recipiens defluant; sed etiam hoc modo acres aquas post Extractionem, ab extractis terris Metallicis recuperatu facillimas esse. Unde summo cum emolumento pauperes, & inopes Venæ Metallicæ ad usum revocantur, ac non solum ipsius Auri & Argenti mineræ, sed etiam Cupri, licet ejusdem vel duas aut tres duntaxat libras unus Centenarius contineat. Hoc nonnisi

nonnisi iis verisimile fieri potest, qui rem ipsam, & operationem oculis suis intuiti sunt.

Quanquam autem dictus hic, ingentem Auri, Argenti, & Cupri Minerarum vim, extrahendi magnâ cum utilitate modus adhuc nunquam Mundo innotuit, plures tamen alii quotidie se offerunt de quibus, Deo volente, in posterum, & futuro tempore patefaciendis, in præsentiâ pluribus meminisse non est necesse. Nullum autem dubium est, Aurum, Argentum, & Cuprum passim, cum magno plurimorum quæstu, ex pauperibus, & hactenus contemptis terris metallicis extractum, & præclaras ac laudabiles meas Inventiones, cum meo honore, & omnium meorum Inimicorum dedecore, à toto Mundo, & in omnibus ejusdem locis cognitum iri, quod Deus in consolationem, & auxilium multorum millium, qui egestate laborant, clementissimè largiatur, AMEN.

Unum adhuc occurrit, quod patefactione dignum judico.

XIX. *Metalla, quæ ex aquis per præcipitationem non sunt eruta, & per abstractionem iisdem liberata, reducendi modus.*

Metalla ex Mineris extracta, & per Solventis abstractionem aquis suis liberata, tam pura esse non possunt, quàm illa, quæ per præcipitationem ad fundum se receperunt. Admodum

 rarò

rarò enim Aurum, aut Argentum in venis Metallicis, lapidibus, aut argillâ, fine aliorum Metallorum commixtione, reperitur, quia plærunque Argento Cuprum, & Auro Cuprum, aut Ferrum admixta ſunt, quæ in reductione non ſecedentia Aurum & Argentum impura reddunt. Sed in Præcipitatione unum Metallum poſt alterum menſtruo liberatur, & alteri non commiſcetur. In Abſtractione contrà omnia Metalla fine ſeparatione commixta manent, & novam ſeparationem poſtulant, ac proinde duplicatum laborem, atque plures impenſas requirunt.

Huic incommodo facilè obviam itur ab eo, qui meæ ſiccæ ſeparationis Metallorum cognitionem habet. Ejus in diverſis Scriptorum meorum locis memini, ità ut non neceſſarium eſſet, ejus ſuperfluâ commemorationes hîc Lectorem remorari.

Quia verò non unuſquiſque cuncta mea Scripta in promptu habet, operæ preçium me facturum arbitratus ſum, ſi lavacrum illud, Metalla Salispetræ adjumento, per ſiccam viam, eluens hîc apponerem. Nam ſine cognitione hujus artificii extracta Metalla à ſe invicem ſeparandi, multum laboris, multæque impenſæ ad Metalla dicta obtinenda adhuc requirentur. Sed ſequente modo, à nobis hîc deſcripto, admodum facilè, & parvo labore, pauciſque ſumptibus, à ſe invicem ſegregantur, & ferè majore quidem cum quæſtu, quam per Præcipitationem fieri ſolet.

Ac ſicut in Præcipitatione Metallorum ſemper aliquid ex aquis Salispetræ naturam induit, quando nimirum uſurpatæ aquæ, ut Salispetræ ſemina, Sali Alkaliſato inſeruntur, & ſe miro modo multiplicant.

Ità etiam in Metallorum Separatione ſiccâ, ferè plus Salispetræ adhuc acquiritur, quando nimirum in tigillis, per Salempetræ à ſe invicem ſejunguntur, & per artificioſam præcipitationem unius Metalli poſt aliud, uſurpatus Salpetræ fixus redditur, & alcalizatur, quod Alkaliſatum Nitrum pro Salispetræ radice habendum eſt. Hæc radix Salibus acidis implantata, pari ratione in iis multiplici augmento locupletatur, & in naturalem, ac flammam concipientem Salempetræ revertitur, quâ acres aquæ ex Alkalizatis Salibus ſibi Salispetræ naturam adſciſcunt. Et ſi vulgaris Salpetræ non quæritur, ſatius eſt, ut Salispetræ ſemen, i. e. uſurpati Spiritus Nitri, in ejuſdem Salispetræ radicem propriam, i. e. Nitrum fixum, inſerantur. Sic enim, augmento ſumpto, mirabilis Salpetræ obtinetur, qui in omnibus operationibus longè majores vires exerit, quam Vulgaris Salpetræ, quocunque modo etiam mundatus fuerit; id quod ex præcedente Primâ Centuriâ patet.

Quandoquidem igitur, in Metallorum, per ſiccam viam, ſeparatione, poſt Operationem peractam, fixi Salispetræ tantum ſupereſt, quantum in humidâ Extractione Aquæ nitroſæ reliquum

manet, ſeminis & radicis Salispetræ ſemper affatim ſuppetit, ut ex aliis Salibus copioſè admodum multiplicentur, nec opus ſit, ut ad modo dictum laborem novus Salpetræ ematur. Compendioſiſſima profectò eſt via, non ſolum cuncta Metalla in ipſâ fuſione ſegregandi, ſed eadem etiam aliquâ ratione emendandi, quod poſtea demonſtrabitur.

XX. *Quo pacto Aurum ferro, aut cupro commixtum, à quo ex Mineris extracto Solvens eſt evocatum, reducendum eſt.*

TAle Aurum immundum, cum duabus, aut tribus, Auro pondere reſpondentibus partibus Vitri Plumbei commiſceatur, & in forti crucibulo liquefiat oportet. Si multum ferri adfuerit, ſponte ſuâ Regulum Plumbeum exhibebit, qui in Cupellâ ignis vigore vexatus, relicto Auro puro, abibit; quia Vitrum Plumbeum ferrum & cuprum attrahere ſolet. Sin autem parum ferri Auro ſe aſſociaverit, in ipſâ fuſione Regulus Plumbeus non ſubſideret, ac proinde in ipſâ liquationis operatione, aliquid limaturæ ferri addendum, ac cum Metallo liquefacto, per virgulam ferream candentem, accuratè movendum eſſet, ut ità Regulus Plumbeus fundum peteret, major aut minor, pro ratione ferri, cujus plus vel minus adjunctum fuit.

XXI. *Alia*

XXI. *Alia materia ad Aurum, cui ferrum ineſt, reducendum idonea.*

℞. Salispetræ 1. & Antimonii 4. partes comminutas, quæ in vitrum nigrum, per liquefactionem rediguntur. Hoc in pulverem redactum, ac cum fero, & non fuſibili Auro commixtum, atque liquatum, Regulum Auri ad fundum deturbat, & in ſcorias ferrum depellit.

XXII. *Antimonii Separatio ab Auro.*

Tales Reguli aurei in Cupellâ ſe ſeparari non patiuntur, ſicut illi faciunt, quos Plumbi Vitrum operatum eſt. In tigillis proinde, aut crucibulis, ad eorum ſeparationem, Salpetræ adhibendus eſt.

Regulum hunc Antimonialem, tigillo injectum, in furno venti liquefac, ac liquefacto, ſenſim & per vices, ſiccum Salempetræ inſperge, ut hic Regulum aggrediatur, & in ſcorias commutet. Scoriæ in tigillo inſtar aquæ fluentes indicio ſunt, quod Aurum probè mundatum, & omne Antimonium in ſcorias redactum ſit. Effunde in receptaculum fuſorium, ut refrigeſcat, & Aurum purum, & malleabile ſubſidendo in Regulum in fundo coëat. Salpetræ autem omnis in hac operatione fixus redditur. Scoriis in crucibulum rurſus immiſſis ſi aliquot prunas impoſueris, & eas

eas liquaveris, omne ferè Antimonium, à Salepetræ dimiſſum, in Regulum coibit, iterum ad aliam Auri reductionem poſteà uſurpandum, utpote qui extractum Aurum non minus promptè, quam ipſum Vitrum Antimonii, ad priſtinum ſuum corpus reducit. Hic labor verò diligentem requirit operatorem, qui eum ſingulari peritiâ tractare ſciat, licet facilis non magnum artificium poſtulet, ſed potius accuratam diligentiam, quæ ſolo uſu peritum Magiſtrum reddit.

Salpetræ ad hunc laborem adhibitus, Salis Alcali naturam induit, ac prunis impoſitus non amplius ardet, adeò ut aquâ ſolutus acre lixivium exhibeat, loco alîus lixivii ex lignorum cineribus, ad plures operationes idoneum. Potiſſimus tamen ejus uſus eſt, cum vera Salispetræ radix exiſtat, ut aliis Salibus adjungatur, ex quibus temporis progreſſu, inſigni augmento locupletatus, novum Salempetræ ardentem producit.

Qui magno emolumento fixum hunc Salempetræ vulgari Sale culinario augere, & in Salempetræ inflammabilem denuò mutare deſiderat, voto ſuo ſatisfaciet, ſi ſequente operatione uſus fuerit.

XXIII. *Ex*

XXIII. *Ex vulgari Sale Culinario, & Lixivio Salispetræ usurpati, optimum, & inflammabilem Salempetræ copiose, & cum fructu conficiendi Modus.*

Inter vulgarem Salem Culinarum, & Salempetræ tàm parvum discrimen intercedit, ut facili negotio ille in hunc converti queat, & quidem diversis operationibus, tàm per Salispetræ Semen, quàm per acres Spiritus, uti suprà docuimus, sive etiam per Nitrum fixum, quam operationem hîc ostendemus.

Exemplo sit panis pistio, & cerevisiæ coctio. Farinæ aquâ in massam redactæ, si parum duntaxat fecum cerevisiæ, aut fermenti farinacei adjunctum fuerit, ipsa totâ massa levare se incipiens, & tenuis evadens, fit idonea, ut excoquatur in panem, omninò eandem proprietatem habentem, quam paucæ illæ feces cerevisiæ, aut paucum illud fermentum obtinuerunt. Sic illa ipsa massa itidem apta est ad fermentationem alii farinæ in infinitum conciliandæ. Idem in cerevisiâ coquendâ usu venit, adeò ut in infinitum cerevisiam coquere, & bonum panem is pinsere queat, cui semel tantum cerevisiæ feces, aut massa fermentata suppetunt. Pari ratione idem ex Vegetabilium augmento patet, quæ in infinitum ex Alcalisato Sale terræ multiplicari poterunt, si tantum semel ipsorum semina & radices in prom-

promptu fuerint. Aliâ pariter ratione eadem propagatio expediri poteſt, per inſitionem nimirum ejus, quod propagandum eſt, in aliud ejuſdem generis: Exempli gratia. Sunt mihi in horto meo optima poma, pira, ceraſa, vel ſimiles fructus arborei, quorum plures in horto meo videre cupio. Feræ igitur, aut non tam nobiles fructus ferentis Piri aut Pomi ramum aliquem, vel etiam ipſam arborem uſque ad truncum deſeco, & alterius arboris, cujus tàm nobiles fructus ferentis plures propagare deſidero, ramulos deſectos, ſecundum artem, ramo aut trunco iſti inſero, qui non ſui generis feros, & degeneres, ſed nobilitate propagini ſibi inſertæ reſpondentes fructus producet. Ex ejuſmodi ſimilitudinibus quivis intellectu pollens facile videt, per artem omninò fieri poſſe, ut una natura in alteram mutetur, nimirum ſi rerum ſemina & radices ad hanc tranſmutationem adhibeantur.

Si autem herbæ alicujus caulem ſive folia in terram effoſſam inſerere, atque ità augere aut propagare ipſam quis vellet, nullum unquam ſui laboris ſucceſſum viſurus eſſet, quandoquidem ex caulibus, & foliis in putredinem abituris, nulla nova herba eſſet repullulatura, ſicut ex ſemine, & radicibus ſuis prodire ſolet.

Eodem plane modo cum Salepetræ comparatum eſt, qui ſi communi & vulgari Sali miſceretur, nullo certe augmento proditurus eſſet, ſicut ex ſemine & radice ſua pullutare ſolet, quod jam patefecimus.

Talis

Talis quoque eſt Metallorum natura, ad quorum propagationem, & augmentum ſemina & radices propriæ requiruntur. Quidnam quæſo Tincturæ (quarum unica particula, piſo magnitudine tantum reſpondens, toti libræ Stanni, aut Plumbi injecta, illud ipſum Metallum in purum putum Aurum tranſmutat, ac ſe, tanquam verum Semen Metallicum, ex tàm craſſo, & terreſtri corpore, tam brevi temporis ſpacio, in tàm nobilem & auream naturam, millecupla multiplicatione, tranſmutat, & auget) Quid, inquam, Tincturæ illæ aliud ſunt, quam ipſa Semina Metallica, atque ipſæ Radices Metallicæ? Quo autem pacto acquirantur, & in alicujus poteſtatem redigantur, perſpectum, & cognitum non habeo. Non poſſum tamen, quin artis Studioſo ſimplicem meam eâ de re ſententiam, vel opinionem aperiam.

Cuncta Metalla ex uno eodemque ſemine ortum ſuum ducere conſtat. Quod verò tantum inter ipſa diſcrimen exiſtat, ac unum altero maturius evadat, diverſis accidentibus attribuendum eſt. In unâ eademque arbore flores, & ingrati ſaporis parvi, poſt acerbi & immaturi, ac tandem maturi & dulces fructus naſcuntur, neque formâ, neque odore, neque ſapore, neque effectibus ſibi ſimiles, qui tamen omnes ex uno principio, nempe ex ſuo Semine & Radice oriuntur. Sic etiam Metalla ſe habent.

Quod enim ad ipſorum Semen attinet, equi-

dem arbitror, si mollissimis, & maximè adhuc immaturis Metallis, qualia sunt Zincum, Plumbum, Stannum, Antimonium, Bismuthum, Koboltum &c. fœtidum, combustibile, & superfluum suum Sulphur, per lavacrum aliquod, adimi posset, ut nihil omninò, nisi purissimus Mercurius, superesset, quod talis Mercurius, sive tale Semen Metallorum, à puro Auro, tanquam purissimâ Metallorum Radice, facilè in veram Tincturam mutari posset.

An autem hæc mea opinio cuivis auditu grata futura sit, dicere non possum, utpote quam, ceu Euangelium aliquod, omni dubitatione superius, nemini obtrudo, cum ipse nondum talem operationem ad finem perduxerim, sed tamen experientiâ meâ eo deductus sim, ut facilè crediderim, quod immatura Metalla optimè lota, & purgata, Metallorum Semina nominari queant.

Pauca hæc in Studiosorum Artis gratiam manifestare operæ precium duxi, nullus dubitans, quin semimortua Alchymia in posterum vitam pristinam recuperatura sit. Si honesto alicui Viro parvus & contemptus aliquis libellus, arcanis tamen magnis refertus, furtim auferatur, & in manus indignorum dispersus incidat, fieri non potest, licet unus aut alter in cœcitate, & tenebris versetur, ut omnes eâdem cœcitate obruti sint, & non hic aut ille veritatem exploraturus, & hoc pacto Alchymia pristinum suum nitorem consecutura sit, quod hic vaticinor. Aliter enim fieri non

non poteſt, niſi Deus ex ſingulari ſuâ voluntate manum ſuam admoveat, & illud impediat. Quod ſi fieret, de quo nullus dubito, ac ideo doleo, unuſquiſque me veritatem prædixiſſe fatebitur. Veritatem ipſiſſimam ſcribo, qui fidem adhibere, aut eandem tentaminibus debitis explorare recuſat, per me illud faciat licebit. Sçopus ſcriptionis meæ unicus hic eſt, nimirum ut falſiſſimæ Inimicorum meorum, hominum ipſa cœcitate cœciorum, calumniæ mendaciſſimæ, quibus Salem communem in Salempetræ mutari poſſe negant, refellantur, & refutentur.

Operatio ipſa talis eſt.

℞. UNam nigri, aut alîus vilis Salis Communis partem, ac cum 2. aut 3. partibus Calcis Vivæ, per aërem in pulverem redactæ, mixtam in talem locum ſepone, qui, non admiſſâ pluvia, aëri ac ſolaribus radiis ſit pervius, ſicut in Appendice docuimus. Acervum hunc lixivio Salispetræ ſupra dicto humecta, eoque exſiccato, humectationem, & exſiccationem tamdiu itera, donec hoc fermentum totum Salem Communem converterit, & in Salempetræ inflammabilem mutaverit, quod citius aut tardius eveniet, prout ipſa operatio diligentius, aut negligentius adminiſtrata fuerit. Cuncta in Salempetræ converſa per decoctionem cum aquâ communi extrahuntur, ut moris eſt, ac reliquiæ in priſtinum locum repo-

ſitæ, aut eodem lixivio, ut prius, aut in hujus defectu, aquâ communi conſperguntur, repetitis, poſt quaſvis exſiccationes, iiſdem humectationibus, donec ipſa Salispetræ copia de novo enata ſeipſam eluendam aquâ communi moneat. Sic in infinitum hæc Operatio procedit.

XXIV. *Alia, & longè compendioſior via, Salem communem, Salispetræ Fixi ope, in Salempetræ optimum convertendi.*

CErtum Salis communis pondus, ſeparatim in aquâ communi ſolutum, & totidem Salispetræ Fixi etiam in aqua communi ſolutum, in dolio ligneo confunde, in quo Fixus Salpetræ, tanquam Fermentum, communem Salem aggredietur, & per fermentationem in optimum Salempetræ commutabit.

Qui maturius Salempetræ deſiderat, fixo lixivio Salispetræ affundere, loco ſolutionis Salis communis poterit illas acres Salispetræ aquas, quæ jam ad alios labores adhibitæ ſunt, quæ vehementiori operatione lixivium illud aggredientur, ità ut ex utrâque hâc ſolutione, tàm acidum & ſpiritualem, quàm fixum & Corporalem Salempetræ comprehendente, paucarum horarum ſpacio, præſtantiſſimus Salpetræ, qualis quidem nullâ aliâ ratione acquiri poteſt, acquiratur.

NB. Si quis majorem Salispetræ copiam conſequendi cupidus fuerit, is poterit prius Salem com-

communem in acri aquâ Salispetræ, & illo ipſo ejuſdem lixivio ſolvere, ac poſt contrariarũ harum duarum ſolutionum confuſionem aquam vulgarem evaporare, ut Salpetræ in ſtirias concreſcat, cujus quidem major erit copia, ſed non tanta bonitas, quanta illius, quem prior operatio reddidit.

XXV. *Alius quæſtuoſus ex Communi Sale, per Salempetræ fixum, bonum & ardentem Salempetræ conficiendi modus.*

Vſurpatarum fixi Salispetræ Scoriarum, & Salis communis culinarii æquale pondus commiſce, iiſque duplum iſtius æqualis ponderis ex calce vivâ, per aërem in pulperem comminutâ, adjunge. Ex hâc mixturâ pilas, aut globos conſice, eaſque lignis ità impone, ut fiat Stratum ſuprà Stratum, ſicuti Chymici vocant. Strue lignorum accenſâ, & per horam cunctis candefactis, Fixus Salpetræ communis Salis naturam mirâ inverſione mutabit, ac in Salempetræ convertet; non tamen antè inflammabilem, quàm hi Sales per debitum tempus humectati, ex aëre vitam attraxerint, & ad flammam concipiendam apti redditi fuerint.

NB. Si aquæ pluviæ loco, aquas illas, quæ ad Mineratum Extractionem uſurpatæ ſunt, in humectando affuderis, paucarum Septimanarum intervallo inde natum Salempetræ inflammabilem colliges.

Quoniam verò in Minerarum Extractionibus, & Metallorum Separationibus, tàm acrium Aquarum Nitrosarum, quàm Fixi Salispetræ insignis copia sese offert, ad hanc operationem instituendam, & emolumentum ex ea capiendum ex Salispetræ, qui suas impensas cum quæstu insigni jam compensavit, ex vili, & vulgari Sale augmentatione copiosâ, omninò sequitur, quod omnes isti hactenus descripti labores, & operationes ferè sine ullo sumptu, & cunctis impensis effectui dari queant, quod inauditum quidem sed tamen verissimum est, ac ignorantium Mortalium fidem superat.

Uniuscujusque profectò esset, non tàm celeri & præprospero judicio rem incognitam, & sibi nullo tentamine exploratam laudare, aut vituperare. Imò licet periculum alicujus rei faciendo, errorem commiserit, non tamen tàm præcipiti audaciâ abripi debet, ut mox immaturo judicio sententiæ suæ pronunciationem præcipitet. Nulla ullius magistri, quantâcunque peritiâ etiam polleat, cognitio ad eam perfectionem pervenit, quæ ipsum errare quandoque non permittat. Nullus artifex naturâ nascitur, sed ipsarum artium, ipsorumque artificiorum peritissima cognitio, crebris exercitationibus, & soli usui nativitatem suam acceptam fert, omnesque Opiniones, variis erroribus & hallucinationibus obnoxias removet.

Pauca hæc monita, Salispetræ apparatum, & con-

confectionem concernentia ſuperfluo additamento, meis prioribus Scriptis accedere voluerunt, ut eorum veritatem evidentius demonſtratam confirmarent. Cuncta, quæ ſcripſi, cum veritate conveniunt, & quamdiu Mundus ſtabit, veriſſima manebunt, rumpantur ilia mendaciſſimo Diabolo, & omnibus ejus aſſeclis mendaciſſimis. Mendacia peribunt, ſed veritas quandoque preſſa, nunquam oppreſſa, in æternum conſtabit.

XXVI. *Argenti ex Mineris extracti, & per abſtractionem ab Aqua Forti liberati, Reductio.*

ARgentum, à quo Aqua Fortis per diſtillationem ſevocata eſt, nullius materiæ fluxum promoventis indigeret, cum admodum facilem fluxum ſuâ naturâ admittat, niſi adhærentes Spiritus fugitivi aliquid de ipſo ſecum avcherent. Ut igitur incommodum hoc amoliaris, Argento tali adde parum fixi Salis ex lixivio ſejuncti, qui Sal Alcali acres Spiritus occidet, ut inter liquandum nihil omninò ſecum abripere queant.

XXVII. *Extracti Cupri Reductio.*

CUprum nullis aliis metallis admixtum, ſi paucum eſt, ità per ſe in crucibulis, ſin verò copioſum, per folles reduci poteſt.

Ubi autem ferrum, aut Lapidem Calamina-

rem continuerit, quibus ut plurimum Mineræ frequentes abundant, reductioni ſoli, ſine adjumentis aliis, non cedit, ob ferrum, Zincum, aut Lapidem Calaminarem, quæ mineralia in fuſione Cupro ſe aſſociantia, idem Fragile ſolent reddere. Hoc incommodum tamen ſequenti modo averti poteſt.

XXVIII. *Cuprum, cui ferrum ineſt, per Reductionem malleabile reddendi modus.*

CUprum Lapidem Calaminarem, aut Ferrum continens cum Sale vulgari commiſce, & crucibulo impoſitum funde, ut Sal ferrum, vel Lapidem Calaminarem ex Cupro extractum ſibi aſſociet, ac in ſcorias convertat, relicto Cupro, quod fundum petet, ac in Regulum abibit.

XXIX. *Quâ ratione Cuprum ab Argento Separandum ſit, ſi utrumque ex Mineris ſimul extractum, & Argentum ex ſolutione per aquam Salis non præcipitatum, ſed ab utroque ità conjuncto, Solvens Menſtruum abſtractum eſt.*

SI Cupro Argentum copiâ ſuâ antecellat, illud facilè ex hoc, aquâ Salis, in quâ parum Tartari ſolutum eſt, extrahitur. Sal enim & Tartarus Cuprum libenter ſolvunt, & Argentum relinquunt.

Sin verò Cupri plus fuerit, quàm Argenti, ſatius

ſatius erit, ut Argentum per Aquam Salis prius præcipitetur, ex prima extractione Minerarum, ac poſteà Cuprum Solventis Menſtrui abſtractione etiam liberetur, ut ità horum duorum Metallorum quodvis ſeparatim retineatur.

XXX. *Si extractum Cuprum Auri quid comprehendat, quo pacto hoc ab illo ſegregandum ſit.*

QUamvis Saturni, aut Lunæ ſolutio, Cupro ſoluto affuſa, & aliquot motibus cum eadem ſolutione concuſſa, aliquid Auri expiſcetur, totum tamen non colligit, niſi per Lixivium aliquod debilitetur. Lixivium autem affuſum, ut Solvens debilitatum eò facilius Aurum dimittat, hoc incommodi habet, quod Solvens illud, ad alias porrò Extractiones uſurpandum, penitus inutile reddat. Accedit & alterum incommodum, ſi paulò plus lixivii quàm par eſt, affundendo error committatur, quod aliquid Cupri unà cum Auro ad fundum præceps eat.

Ut igitur his incommodis obviam eatur, Cupri Aurum continentis Solutio in meo ſecreto, & à me invento Vaſe Diſtillatorio, in quo & facilè, & copioſè hoc fieri poteſt, uſque ad ſiccitatem abſtrahenda, & ſequens Menſtruum, quod ſolum Cuprum, & nullum Aurum ſolvit, exſiccatæ materiæ affundendum eſt, ut Cuprum ſolvatur, & Aurum, ſive ejus multum, ſive parum fuerit, non

ſolutum in fundo maneat. Solutum Cuprum lixivio, Silicum Liquore aucto, ex aquâ præcipitari, elui, exſiccari, & forti aceto in pulcherrimum æs viride converti poteſt. Aqua uſurpata ſi ſalibus Alcaliſatis affundatur, bonæ notæ Salempetræ largitur. Qui viridis illius coloris cupidus non fuerit, Solvens à Cupro per diſtillationem ſejungere poterit, ad ſimilem Cupri novi ſolutionem rurſus adhibendum. Tantum autem Auri Cupro adeſſe debet, ut ſumptus huic labori impenſos ferre, & quæſtum afferre queat; aliàs Aurum apud Cuprum relinquere, quàm tanti emere ſatius eſſet,

XXXI. *Menſtrui Cuprum ſolventis, & Aurum à ſe repellentis confectio.*

HOc Solvens nihil aliud eſt, quàm Aqua Fortis, in quâ parum Tartari diſſolvitur. Tartarus enim Auri inimicus, illud ex Solutionibus, ſicut Sal commune Argentum ex Aquâ Forti exturbare ſolet. Hâc viâ omne Cuprum facili negotio ab Auro ſegregari poteſt, de quâ ſuo loco adhuc plura dicentur.

XXXII. *Alia Cupri Aurum complectentis Reductio, & Cupri ab Auro perfecta Separatio.*

CUpro Aurum comprehendenti aliquid Argenti adde, & Regulo Antimonii, qui duplum

plum pondus dictorum Metallorum simul sumptorum contineat, funde. Regulum dictum cum Cupro additionem Salispetræ ab Argento secerne, ut hoc Aurum, quod in Cupro fuit, secum retineat, segregandum posteà, si impensas cum lucro reddere potest. Non tamen necessarium est, ut mox secernatur, cum longè satius sit, à tali Argento, simile Cuprum, Aurum continens, pluribus vicibus abstrahere, ut Argentum majore Auri copiâ locupletetur tot Abstractionibus, quæ præter tigillorum & ignis impensas admodum paucos alios sumptus postulant. Omnis enim adhibitus Salpetræ, cum toto Cupro, & universo Regulo Antimonii, ab illo recuperari potest, qui præcipitationem rectè novit. Prætereà magni quid, quoad Metallorum emendationem, sub hâc operatione occultum latet. Via enim est perveniendi ad cognitionem Argentum quodvis per Cuprum Auro, & Cuprum ipsum Argento impregnandi, de quâ re in aliis Scriptorum meorum locis plura inveniuntur.

Hæc de Metallorum ex pauperibus Mineris, extractorum Reductione, & iis quæ ob festinam editionem Appendicis Quintæ Partis Prosperitatis Germaniæ, in eadem omissa sunt, hâc vice dicta sufficiant, quæ Benignus Lector ex his adjungere, & supplere poterit.

Siquidèm verò in hujus opusculi locis diversis Instrumenti artificiosi, & nuper à me inventi,

ac ad facillimam aquarum, ad Metallorum Extractionem apprimè necessariarum, præparationem aptissimi & utilissimi, mentio facta est, non tamen ità clara, & perspicua, ut ejus cognitionem quis ex eâ consequi valeat; præterquam quod etiam fieri vix possit, ut illius descriptio tam clara & perspicua proponatur, ex quâ perfecta ejus præparatio, & debitus usus addiscatur; haud abs re tamen futurum censui, studioso Investigatori aliquid amplius de ipso manifestare, ut aliquam duntaxat ejus cognitionem adipiscatur. Prolixiorem & clariorem revelationem in aliud tempus rejicio, quod mihi commodiorem scribendi occasionem subministrabit.

XXXIII. *Brevis descriptio suprà memorati Instrumenti artificiosi, cujus ope Spiritus ad Metallorum ex pauperibus Mineris, Aurum, Argentum & Cuprum continentibus, extractionem necessarii, copiosè parantur, Mineræ ipsæ extrahuntur, & Menstrua Solventia à Metallis facilè rursus separantur.*

INcomparabile hoc, & noviter à me inventum Instrumentum, ad faciles Metallorum Extractiones ac Solventium Menstruorum præparationes commodissimum, ex peculiari terrâ construitur, ac figurâ suâ ferè pistorio furno respondet, atque minus aut majus, prout quis plus vel minus in eo elaborare cogitat, à fronte januam, & in

fine,

fine, aut proximè illum exitum habet. Operculo alembici vices subeunti magnum Vas Recipiens adaptatur, recipiendis Spiritibus exeuntibus idoneum. Postquam furnus calefactus est, Sales parati, peculiaribus ex optimâ terrâ confectis ollis, aut crucibulis, forcipe ad hunc peculiarem usum paratâ, Instrumento imponuntur, atque Spiritus omnes celeri distillatione eliciuntur. Nullum autem hic periculum ab Instrumentorum fractione imminet, ipsaque distillatio unius aut duarum horarum spatio absolvi poterit, quantacunque Salis copia etiam ad distillandum adhibita fuerit. Post Distillationem absolutam Ollæ Instrumento seu furno illi impositæ cum Capite Mortuo, quod continent, forcipe rursus eximuntur, ac mox aliæ Salibus repletæ Ollæ in priorum locum reponuntur, & distillatione novâ Spiritus iterum expelluntur. Horum laborum continuatione tamdiu quis pergere potest, quamdiu ipsi placuerit, aut ad distillandum materia suppetierit, quia Vas nunquam refrigescit, quamdiu ipsa distillatio continuatur. Aptissima igitur hæc est fornax, ad magnam Salium copiam distillandam labore, qui quàm celerrimè absolvitur.

Idem distillandi modus in Minerarum, seu terrarum Metallicarum Extractione observandus est, quæ hâc viâ longè citius & celerius extrahi possunt, quàm illa, quæ in Appendice descripta, Vitrorum calefactione expedienda est.

Pari ratione ipsum Solvens Menstruum ab Extra-

Extractis Metallis celeriter rurſus abſtrahitur, atque ſine ullo detrimento conſervatum ad ulteriorem uſum adhibetur. Adeò compendioſè & facilè igitur hoc Inſtrumentùm omnibus dictis laboribus defungitur, ut, ſi Ignem & Salem excipias, Spirituum copioſa confectio, Minerarum abundans Extractio, & Menſtruorum à Metallis extractis Separatio, & Conſervatio, ferè nullis ſumptibus conſtent.

Hanc acrium Aquarum diſtillationem, & Minerarum Extractionem utiliſſimam pariter, & artificioſiſſimam eſſe quis negabit? Prodite jam in lucem omnes vos Verveces ignorantiſſimi, qui hoſtes mei capitales eſtis, & Artem, quæ non habet oſores, niſi Ignorantes, odiſtis; Prodite, inquam, & melius quid in medium afferte, ut honorem conſequamini, & totus Mundus videat, vos non fallaces, & mendaces Ignorantiæ Fratres, ſed honeſtos, multarumque rerum peritos viros eſſe. Si hoc non præſtiteritis, quod tamen ut unquam præſtetis, fieri nunquam poterit, & ſi mea, quibus meliora exhibere nunquam valetis, ludibrio habere non deſtiteritis, honor in me, & probrum ac infamia in vobis reſidebit, quamdiu Mundus ſubſiſtet.

XXXIV. *Se-*

XXXIV. *Sequitur Explicatio nonnullorum Secretorum, Salis mei Mirabilis ope effectui dandorum, de quibus in Secundâ Miraculi Mundi Parte fit mentio.*

DIversimodè Sal meum Mirabile parari passim ex Scriptis meis, ac præcipuè ex Secundâ Miraculi Mundi Parte liquet: Hinc & ejusdem usum diversum esse, necessariò sequitur. Alius enim ipsius est usus, quando post distillatum ab ipso Spiritum ex cucurbita eximitur, & corrosivam naturam adhuc obtinet. Alius contrà usus est, quando hic corrosivus Sal aquâ communi solutus, per filtrum trajectus, & frigori expositus, optimam sui partem in longas Crystallos concretam exhibet, quæ nullam vim corrosivam habentes, peculiari usui inserviunt. Alium item usum habet, quando omni corrosione privatus in dulcedinem convertitur, uti in plurimis meorum Scriptorum locis indicavi. Hoc sciant oportet illi, qui ipsum ad hunc vel illum laborem adhibere cupiunt, ut nullo errore commisso eò felicius voti sui compotes reddantur.

Aliquot igitur ex præcipuis illis Arcanis, quæ in Secundâ Miraculi Mundi parte enarrantur, inspiciemus, & examinabimus, an etiam eo, quem præscripsi, modo effectui dari possint.

XXXV. *Quà*

XXXV. *Qua ratione quævis aqua, vinum, cerevisia, acetum, aliique Liquores, paucis horis, in dura frusta glaciei similia, per Salem Mirabilem coagulari queant.*

AD talem Coagulationem omnium aquosarum & humidarum rerum, sumendus est Sal Mirabilis, qui benè edulcoratus, ut Chymici loquuntur, & in longas Crystallos concretus, ex æquali Salis & Olei Vitrioli boni pondere paratus sit, quia maxima siccitas ex Oleo Vitrioli oritur.

Talis optimè paratus, & in longas stirias concretus Sal Mirabilis, in Sole calcinando in tenuem pulverem redigendus est, ut omnem suam humiditatem amittat, & tamen non liquescat. Nam si liquescerit, iterum terendus esset. Hujus calcinati Salis Mirabilis una pars, potest tres partes aquæ, vini, cerevisiæ, aut alîus liquoris, cui miscetur, aliquot horarum spacio, in siccam materiam glaciei similem coagulare, ut in sacco, vel etiam Cribro aliquo, foraminibus multis perforato, portari queat.

Cui autem usui talis Coagulatio inservire queat, hîc enarrare nimis prolixum foret: Quisque rem ipsam probe meditando, usum inveniet.

XXXVI. *Aqua,*

XXXVI. *Aquæ, vini, aut Cerevisiæ à Sale Mirabili Separatio.*

Liquores coagulati per distillationem à Sale Mirabili commodè secerni possunt. Sed Vini & Cerevisiæ coagulatæ aquositas tantum distillatione semovetur, & crassior pars in cucurbitâ apud Salem remanet. Sed calcinando Sal Mirabilis omni impuritate rursus liberatur, ac denuo albus & idoneus fit, ut ad novum ejusmodi effectum reducendum usurpetur.

NB. Adhuc alios, in glaciem aquosos liquores coagulandi modos esse non diffiteor, de quibus suo loco agetur.

XXXVII. *Quomodo acres Salium Spiritus, ut Aqua Fortis, Aqua Regis, Spiritus Salis, Spiritus Vitrioli, Aluminis, ac similes, in duros Sales aquæ conglaciatæ non dissimiles, coagulari possint.*

HÆc acrium Spirituum ex Salibus Coagulatio eodem modo, quo Aquæ Communis, & aliorum dulcium Liquorum Coagulatio perficitur. Sed separatio propter acrimoniam in vasis ex optimâ terrâ, aut vitro peragatur oportet. Ac his Coagulatis Spiritibus Salium multa haud parvi momenti posse præstari certum est, quorum narratione ob brevitatem hîc supersedemus.

Nam aliquot duntaxat Secreta, in Secundâ Miraculi Mundi Parte commemorata, hâc vice demonſtrare, veritatemque ipſorum aſſerere mihi propoſui.

Ex his duabus propoſitis Coagulationibus, unuſquiſque cæterarum humidarum rerum coagulationem fieri poſſe, facili negotio addiſcet.

XXXVIII. *Quî fontis alicujus ſcaturigo per hunc Salem Mirabilem obturari queat.*

NOnnunquam uſu venit, ut in aliquo loco aquarum Scaturigo erumpat, quæ ibidem noxia eſt. Ac quia interdum obturatu ſunt difficiles ejuſmodi Scaturigines, hanc obturandi per Sal Mirabile viam hîc apponere volui, præcipuè in eum finem, ut rerum natura & proprietas addiſcatur, præterquam quod & ipſæ artes & ſcientiæ haud exiguum quandoque auxilium afferant, cumprimis quando nullum conſilium ſuppetit. Candefacti igitur Salis Mirabilis, quantum ſufficit, aut opus eſt, linteo aliquo colligatum, & foramini Scaturiginis inſertum, in lapidem durum cum aquâ mutatur, atque ità ſcaturiginem aliam ſibi viam quærere cogit.

XXXIX. *Phle-*

XXXIX. *Phlegma ſubtilibus Spiritibus adimendi Ratio.*

QUia volatiles, & Sulphurei Spiritus Salium in Medicinâ magni quid præſtant; præcipuè quando Phlegmate, ſive aquoſis humiditatibus ſuis liberati ſunt, quibus tamen non à quovis liberari poſſunt, in ægrorum gratiam operæ precium duxi, facilem illud per Salem meum Mirabilem efficiendi modum hic patefacere, qui fit, ut ſequitur.

Vitreæ Cucurbitæ dimidiam partem Sale Mirabili reple, eique affunde Spiritum volatilem Vitrioli, Nitri, aut Salis Communis, & per Balneum inde ſubtiliſſimum Spiritum deſtilla, qui exibit, Phlegmate inutili apud Salem Mirabilem relicto, quem candefaciendo ad novas operationes rurſus idoneum reddes.

XL. *Alius, & quidem facilior, imò quaſi incredibilis & Miraculoſus Vinum, Cereviſiam, Acetum, Vinum aduſtum, & omnes alios Liquores humidos, in momento, per Sal meum Mirabile, ab inutili Phlegmate liberandi Modus.*

PRæcedens Liquorum humidorum Coagulatio maximæ ſiccitati, quæ in Sale Mirabili latet, originem ſuam acceptam fert. Hæc verò, quàm nunc tradimus, ex concentrato frigore humido-

rum ignium, de quibus in Primâ Centuriâ actum est, proficiſcitur. Ea ſic ſe habet.

℞. Unam libram ſupraſcripti Salis Mirabilis, in forte vitrum immitte, & duas libras concentrati & frigidi Ignis alicujus Salis, ſive Vitrioli, ſive communis Salis, ſive Salispetræ, cujus ignis cæterorum Salium ignibus antecellit, affunde, ut poſt aliquot horarum quietem ex utroque maſſa glaciata fiat, quam hyberno tempore in nivem, aut aliàs in aliquem locum frigidum, qui quo frigidior, eò melior, repones, ubi quo diutius in frigore commorabitur, tantò plus frigidum ignem concentrabitur, ac tantò majora concentrato ejuſmodi corpore præſtari poſſunt.

Ejus admirabilis, & cuivis etiam doctiſſimorum hominum incomprehenſibilis, & incredibilis uſus hic eſt.

XLI. *Anhelitus hominum, in hypocauſto aliquo calido præſentium, receptio, & in glaciei formam mutatio.*

SI præſentibus tuis convivis aut amicis admirationem excitare, & recreationem utilem exhibere cupis, ſequente ratione deſiderium tuum explebis.

Vitrum Igne Salis humido, & à Sale Mirabili coagulato, quod per aliquot horas in frigore ſtetit, repletum, tecum defer in calidum hypocauſtum, atque ſuprà menſam filo, aut funiculo aliquo

quo ſuſpende, quando convivæ tui jam menſæ accubituri ſunt. His rogaturis, quid hoc ſignificet, & quid appenſo illo ſuprà menſam Vitro tibi velis, reſpondebis, te in ipſorum honorem, & recreationem amœnas, & facetas præſtigias exhibiturum, poſtquam ad ſatietatem ederint & biberint. Quiſque igitur tales præſtigias cernendi deſiderio tenebitur, & ſubinde ſuos oculos ad vitrum convertet. Poſteaquam verò Vitrum dimidii, aut unius minuti ſpacium pendendo conſumpſerit, anhelitus hominum aſſidentium ſe ipſi confeſtim applicabunt, & toti ſuperficiei inſtar nivis adhæſuri, illud ubique contegent, & magis ac magis craſſeſcent, adeò ut brevi tempore craſſâ & villoſâ barbâ, ex naturali glacie conſtante, & tamdiu ſe augente, quamdiu concentratum frigus in vitro durat, hoc ipſum vitrum ſe oneratum conſpectui exhibiturum ſit. Tandem eodem, poſt conſumptum internum concentrati Ignis frigus, incaleſcente, conglaciata illa barba iterum liqueſcere, & in aquam reſoluta deſtillare incipit, cujus guttis deſtillantibus excipiendis vas aliquod ſupponendum erit. Mirabilis hæc eſt diſtillatio anhelitûs humani, qui inter loquendum ex ore humano progrediens, per concentratum Ignem Salis, in glaciem, & tandem ab hypocauſti calore rurſus in aquam redigitur.

Hæc tàm velox Operatio, aut tranſmutatio vaporis humidi & aquoſi, in naturalem glaciem, vilis & inutilis alicujus rei ſpeciem quidem præ ſe

fert, sed internæ mentis acie perspecta, non solum summam admirationem parit, sed etiam præstantissimam naturalium rerum cognitionem aperit.

Auri sacrâ fame laborantes dicent, quid commodi tales præstigiæ adferunt? Si Aurum de vitro destillasset, illud collegissemus: quid aqua nobis opus est? si adhuc nobile vinum fuisset, genio indulgentes illud ebibere potuissemus. Aufer fœtidam illam aquam, ac nobis nobile vinum affer. Hos sermones ex composito proferet aliquis ex tuis amicis, prius à te subornatus, ut cæteros, harum rerum ignaros, majori gaudio, & lætitia expleas, si vini cupido mox satisfeceris, dicendo, si amici & convivæ melius vinum expectant, te ad promendum id promptum & paratum esse. Hîc convivæ arrectis auribus expectabunt, & videre desiderabunt, quod melius vinum ex cellâ tuâ prompturus sis; Inter hos præcipui erunt, quos non fugiet, tàm multiplicia vina tibi in cellâ tuâ non superesse.

Interea quædam parva, & aliquot uncias continentia, concentratisque Ignibus Salium repleta, ac probè obturata, & filis suis alligata vitra in frigore parata habebis. Artis autem tuæ in momento vina emendantis, & nobiliora reddentis, specimen editurus, cantharum vulgaris vini apportandum curabis, & convivis bibendum exhibebis. Animadvertentibus verò, pristinum vinum esse & nobilius te non apposuisse, sequenti ratione satisfacies.

XLII. *Mo-*

XLII. *Momentanea Operatio, in multorum hominum præsentiâ, quodvis vinum vile, insigni emendatione, per frigidos Ignes Salium, nobilius reddens.*

IUbe tibi apportari unum ex vitris illis in hunc finem paratis, appensumque filo in vitrum vino tuo plenum demitte, quo facto, confestim concentratum, & in parvo tuo, in majus demisso vitro latens frigus, aquosas & inutiles vini partes ad se trahet, atque in insipidam glaciem mutabit. Quo diutius autem parvulum illud vitrum in vino reliqueris, eo plus aquæ ex vino extrahetur, & eo nobilius vinum reddetur. Si verò citius extraxeris, etiam minus aquæ auferes, ità ut convivis tuis, ex uno cantharo, diversa vina propinare hâc ratione possis, aut potius illis ipsis facultatem concedere queas, ut pro lubitu suo vinum sibi emendent. Hac enim operatione inutilis aqua, ex vino exhausta, & in glaciem mutata separatur, & aufertur. Aquæ igitur parte ablatâ, necessariò reliqua multo efficacior & suavior sit oportet, quam anteà fuit, cum aquam adhuc sibi adjunctam continuit.

Hoc artificio utens Paterfamilias, sibi ac suis convivis, ex uno dolio deprompta vina diversa, apponere potest.

Est autem tale secretum non solum curiositatis, sed etiam utilitatis plenum, quod pluribus modis multum boni confert, & præstat. Mille

commoda ab ipſo proficiſcentia enarrare poſſem, ſi neceſſitas poſtularet. Sed quia non neceſſarium judico, ut iis enarrandis tempus impendam, hâc vice aliquot duntaxat commemorabo, reliqua in ſequuturas Centurias rejiciens, in quibus, pro temporis ratione, ipſorum mentio fiet.

XLIII. *Cujuſvis cereviſiæ tenuioris hyberno tempore, tàm domi quàm foris Emendatio.*

VSu nonnunquam venit, ut Paterfamilias aliquis tantum unius generis vinum, aut cereviſiam in cellâ ſuâ habeat, cujus potu uti ſolet, & melioris notæ vinum, aut cereviſiam propterea in cellam ſuam non recondat, quod aut egeſtate laboret, aut etiam propter cellam cuivis patentem, aut ſervos & ancillas, de induſtriâ à communi dolio ad præſtantius deviantes, nimios ſumptus reformidet.

Quia verò in Senibus, quando interdum durioribus cibis, ut aſello areſacto, carne fumo induratâ, aut piſcibus veſcuntur, debilitatus, & ſenio confectus ſtomachus rerum ſuarum ſatagere concoquendo detrectat, hujus Secreti adjumento confeſtim cereviſia, & vinum fortiora reddi poſſunt, præſertim hyberno tempore, quo Senibus calidior, & fortior hauſtus cereviſiæ, & vini commodior eſt, quàm æſtivis menſibus, quibus eodem facilius carere poſſunt.

Aliquis hîc objicere, & dicere poſſet, unde mihi

mihi tale frigus concentratum, quo aquam ex vino extraham, ſuppeteret? Huic reſpondeo; Eorum plures inpoſterum fore, qui illud paraturi, & aliis conceſſuri ſint, cujus tamen copiâ tantâ nemini opus eſt. Si dimidiam duntaxat libram ejus in promptu Paterfamilias habet, toto vitæ ſuæ tempore eadem uti poterit, ſi modo ita cuſtodiverit, ut vitro fracto non pereat. Nam quando uni, aut alteri cantharo cereviſiæ, aut vini aquam ſubtraxerit, eam in glaciem mutatam à vitro removet, & frigori rurſus exponit, donec ejus porrò indigeat. Talis enim frigus concentrans Magnes, vires ſuas ſemper conſervat, & nunquam corrumpitur, ad multa admiranda perpetranda ſemper idoneus.

NB. Si Ignes illi Salium defuerint, eorum loco grave Oleum Vitrioli, Oleum Salis, aut Aqua Fortis adhiberi poteſt, quæ tamen Olea tantum neutiquam præſtant, quantum Concentrati illi Salium Ignes præſtarẽ poſſunt. Rem ipſam tamen demonſtrant, licet haud magnum emolumentum pariant, id quod intellectu cuivis facile eſt.

Magno enim inter ſe diſtant diſcrimine Ignes Salium Aquoſi & non Aquoſi: Vulgaris aliqua, & ſimplex aqua non poteſt tàm frigida evadere, quàm Salis alicujus aqua, & hæc tantum frigus non conſequitur, quantum vulgaris aliquis Spiritus Salis, qui & ipſe nullâ ratione ad eum frigoris gradum perveniet, quem Concentratus Spiritus

aliquis nancisci solet. Sic pellicea vestis ligno, lignum lapidi, & lapis gravi Metallo, nunquam frigiditate sua respondebit, quæ differentia ex compactionis densitate ortum suum tradit, quandoquidem tantò magis aliquid frigus, & calorem concentrabit, & secum figet, quantò compactius & densius corpus habuerit. Concentrati enim frigoris proprietas est, rem aliquam occidere, ac duram & rigentem reddere. Concentratus Calor contrà celerem vitam, atque correctionem & emendationem largitur, quod experientia ipsa docet.

O fortunatum illum, qui Metallicum Salem adeò compactum, densumque & Metalli instar gravem reddere, ac debito tempore in candore ignis, ut calor sensim & gradatim in eo concentrari & figi valeat, conservatum, fusilem efficere posset. Proculdubio gravissimos morbos curandi, & imperfecta Metalla in perfecta mutandi Tincturam consecuturus esset. Solus enim Ignis maturitatem alicui rei conciliat, & quò major ac fortior ipse Ignis existit, eò celerior; & melior emendatio & correctio alicujus rei expectanda est.

Hæc quæ paucis verbis hic indicavi, majoris momenti, dignitatis, ac ponderis sunt, quàm quisquam credere potest. Nullum quoque dubium est, quin propediem in medium prodituri sint aliqui, qui sine ullo metu Metalla imperfecta tingendo in Aurum mutaturi, & Artis veritatem

tem veriſſimam teſtaturi ſint, adeò vulgaris evadet Alchymia in hoc Seculo, quod antehâc in hoc Mundo nec auditum nec viſum fuit; Imò hanc artem adeò familiarem ſibi reddent Mortales, ut etiam Particulares Tincturas haud magni ſint æſtimaturi.

Cur autem Deus talia fieri permittat, nobis penitus occultum manet, illud duntaxat videntibus, magnam in Mundo mutationem procul dubio ſequuturam eſſe. Felices erunt illi, quibus Deum ante oculos habentibus, & purâ mente colentibus, nec Diabolus, nec Peccatum, mater ipſius, damnum inferre poſſunt.

XLIV. *Quid Commodi Secretum hoc afferre poſſit iis, qui tempore Hyberno iter faciunt.*

NEceſſitas quandoque poſtulat, ut Senibus hyberno tempore iter faciendum ſit, quod, nullâ feſtinatione urgente, ità inſtitui poterit, ut circà meridiem & veſperam ſemper quies capiatur in ejuſmodi loco, in quo cibus, & potus affatim ſuppetunt.

Si autem ſumma feſtinatio profectionem urgeat, ſive quis curru, ſive equo vehatur, ac interea vel nix viam difficilem reddat, aut currus rota aliqua caſu frangatur, & ita viator impediatur, quo minus ſtatuto tempore ad locum deſtinatum pervenire queat, coactus ita interdum ad opilionis alicujus domunculam divertere, aut ſi paulò

felicior fuerit, in pago aliquo vili diverſorium quærere, ubi nec vinum, nec cereviſia bona offenditur, tunc temporis ille, qui iter facit, ex viliore vino, vel cereviſiâ melius vinum, aut cereviſiam conficere, ac valetudini ſuæ conſulere poterit, ſi talem Magnetem, qui glaciem attrahit, in vitro aliquo parvo penes ſe habuerit.

XLV. *Quid utilitatis navigantes in Mari ex hoc Secreto capere poſſint.*

VSu venire poteſt, ut aliquis navem conſcendat, brevi ſe venturum, quo tendit ſperans. Nobilis vini aut cereviſiæ hauſtu inſtructus licet ſit, ſi ventus adverſus oriatur, diutius in mari commorandum ipſi erit. Vino igitur, & cereviſiâ conſumptis, tenuem illam in navi cereviſiam, quâ nautarum vulgus uti ſolet, meliorem reddet, & valetudinem ſuam conſervabit.

XLVI. *Quomodo hujus Secreti ope vino adusto, quod ex frumento confectum eſt, inutile ſuum Phlegma poſſit adimi, ut Spiritui, ex fecibus vini parato, æqualis evadat.*

AD hoc effectui dandum major Magnes requiritur, qui Phlegma illud removeat, quàm apud vinum & cereviſiam, propterea quod vinum aduſtum fervidioris eſt naturæ, quàm vinum, atque cereviſia, quæ libentiùs aquoſitatem

ſuam dimittunt, quàm vinum aduſtum, quod illud ægrius facit.

XLVII. *Quâ ratione Aceto debiliori, aut humidiori aquoſitas ſua ſuperflua ſit adimenda, ut ita fortius reddatur.*

AQuoſitas ex aceto debiliore, & humidiore, Magnetis illius, glaciem attrahentis adjumento, facilius ſe extrahi patitur, ideò quia multò citius, quàm alii potus, acetum glaciei formam induit.

XLVIII. *Quæſtio; An hæc vinum, cereviſiam, acetum, vinum aduſtum, & alios potus fortiores & ſuaviores reddendi emendatio, copioſè confici poſſit, an verò pro ſolâ curioſitate habenda ſit?*

REſponſio: Eſt profectò excellentiſſimum Secretum, curioſæ mortalium inquiſitioni apprimè ſatisfaciens, quod hactenus nunquam Mundo innotuit, & tamen inaudita præſtare poteſt, quæ non neceſſe eſt, ut divulgentur.

Quantum ad aquæ à vino, cereviſiâ, & aliis potibus ſeparationem copioſam attinet, eadem, & quidem cum utilitate, fieri poſſet, nonnullis in locis haud exiguas divitias paritura illi, qui eâdem ritè & artificioſè defungi noverit. Illam patefaciendo hic rerum mearum ſategi. Pigris pulmen-

mentum non est coquendum, ac ori ipsorum inserendum. Arripiant ipsi si velint, & rebus suis ritę consulant.

XLIX. *An etiam frigidorum Ignium, ex Salibus, copia insignis paratu sit facilis?*

℞. IMò eorum tanta copia parari potest, quantam quis exoptat, aut etiam necessitate coactus desiderat. Sed quia tales Salium Ignes frigidi admirandarum, & incredibilium rerum, quæ nunquam adhuc mundo innotuerunt, effectores sunt, meritò ipsorum copiosa præparatio & acquisitio reticetur. Contentus igitur quisque iis esto, quæ in Primâ Centuriâ in lucem emisi: Temporis progressu forsan plura sequentur.

L. *Quomodo Sal meum Mirabile, Olea aquosa, humiditate suâ superfluâ liberare queat.*

HUjus per calorem in tenerum pulverem redacti Salis mei Mirabilis libram unam commisce cum 10, aut 20. libris boni Olei olivæ, aut recentis Olei Lini, Sal Mirabilis calidus cum oleo commixtus, & probè cum ipso agitatus omnem aquam ad se trahit, & fundum vasis petit, à quo oleum clarum per effusionem separandum, & ab ipso Sale Mirabili aqua omnis, ut & olei impuritas, segreganda est, ut ita, ad similes ejusmodi operationes rursus utilis, recuperetur.

LI. *Situ*

LI. *Situ corrupto alicui dolio situm, & fœtorem adimendi Modus, ut rursus alii vino recipiendo idoneum fiat.*

DOlii talis interiori cavitati illine Concentratum Salem Ignis humidum, ut ubique probè humectetur, eidemque Salis mirabilis tantum asperge, quantum adhærere poterit. Sic enim frigidus ille Salis concentrati Ignis, cum Sale Mirabili attracto, durus, & fusionem respuens evadit, & dolio adhæret, ac ipse ille Ignis omnem situm & fœtorem aliquot dierum spacio comburit, perinde ac si ignis lignorum communis adhibitus fuisset. Dolium, fervente aquâ elotum, ad vinum recipiendum rursus utile & idoneum est.

Operatio hæc non propter fœtidum aliquod dolium, quod tanti momenti non est, hic docetur, sed propterea, ut alia majoris momenti secreta, & commoda ex ipsâ addiscantur, & cognoscantur. Admiranda enim multa sub his operationibus occulta latent, quæ tamen maxima Lectorum pars non animadvertet. Sed quid juvat ejusmodi hominibus facem in tenebris præferre, quos Deus in cœcitate relinquit, & nullis oculis donare dignatur?

LII. *Omnis*

LII. *Omnis generis fruges, ova, cæpas, & alios humi naſcentes fructus, à corruptione diu conſervandi ratio.*

SAl Mirabile dulcis ignis adjumento probè ſiccatus, & cum fructibus, ovis, aut ſimilibus, denſâ, & arctâ ſtratificatione, vaſi alicui impoſitus, ſuâ ſiccitate, & omnem corrumpentem humiditatem attrahente vi, cuncta ità conſervat, ut longo tempore ne minimam corruptionem ſentiant.

LIII. *Quæſtio: Cur Sal Mirabilis, quo antè ſationem frumentum maceratum eſt, & cujus aliquantum terræ admiſcetur, pluviam attrahat, coagulet, & diutius, quàm cæteri Sales, ſecum retineat?*

REſponſio: Hoc acceptum ferendum eſt maximæ ipſius ſiccitati, quâ pollet.

LIV. *Præparatio Salis Mirabilis, ut omnium Vegetabilium Medicina Univerſalis evadat.*

SAl Mirabilis, qualis per ſe eſt, propter corrodentes ſuas vires, quas adhuc penes ſe habet, ad Vegetabilium multiplicationem planè ineptus eſt, utpote qui ità adhibitus, plus incommodi, quàm commodi eſſet allaturus. Id propter neceſſe eſt, ut uni ipſius parti, quoad pondus, duæ

duæ partes optimæ Calcis vivæ admiſceatur, quæ aqua humectatæ & in pilas, ſeu globos redactæ per unam horam probè unà candefaciendæ ſunt, ut omni corroſivâ vi intrò verſâ, Sal Mirabilis Alcaliſetur, & pro Univerſali Medicinâ Vegetabilibus adhiberi queat. Attrahentem enim ſuam vim conſervat, & in candefactione eandem non amittit.

LV. *Quæ cauſa ſit, cur Lignum diu jacens in aquâ, in quâ Sal Mirabile ſolutum eſt, in durum lapidem convertatur?*

RESponſio: Hæc operatio adſcribenda eſt incredibili, & adſtringenti proprietati, & naturæ, quâ Sal Mirabilis præditus eſt.

LVI. *Salis Mirabilis ope ſemimortuam arborem ad vitam reducere, ut reviviſcat, & de novo repullulare incipiat.*

TErram, quâ radices arboris teguntur, effoſſam commiſce cum 1. 2. 3. aut pluribus libris Salis Mirabilis, prout arbor major aut minor fuerit, ac eâdem radices eaſdem rurſus contege, terræque ipſi aquæ pluviæ aliquantum affunde, ut eâdem humectatâ, radices Salis ſibi admixti participes reddere queat. Hoc pacto arbor Medicinam, ſive bonum nutrimentum ex Sale attrahet, ac refocillabitur, & recreabitur, perinde ac fame-

F lico

lico homini frustum panis, aut alius cibus, quo caruit, vires restituit.

L V I I. *Quomodo semimortua, aut aquis suffocata Insecta, & canum catuli, ut & felium, aut murium fœtus, ad vitam revocari possint.*

INsecta, aut alia animalcula in aquam injice, ac in eâ tamdiu relinque, donec fundum petant, & se non amplius moveant. Exemptorum dimidiam partem sepone: Sale Mirabili, apud Ignem prius calefacto alteram partem ità contege, ut ubique probè cincta & contecta sit. Hoc facto, Sal Mirabile ex suffocatis insectis, aut animalculis omnem frigidam humiditatem confestim extrahet, ita ut superfluâ aquâ liberentur, ad se redeant, & postquam aliquandiu sic jacuerunt, ex Sale rursus erepant. Altera verò pars, quæ seposita est, mortua manet.

Hæ, ac multæ similes ejusmodi Operationes admirabiles Salis Mirabilis adminiculo perfici possunt, quæ non aliundè, nisi ab ipsius incredibili siccitate, quam corpore suo occulit, proficiscitur. Ideò non necessarium duco prolixiore descriptione his declarandis immorari, cum ex iis, quæ hactenus dicta sunt, unusquisque quam plurima addiscere, & satis commodi ac utilitatis haurire possit.

LVIII. *Quomodo Salis Mirabilis adjumento durißima, & minimè solubilia Subjecta admodum facilè solvi poßint.*

ASpiciatur carbonis lignei natura & proprietas, quæ talis est, si in maximo igne, per plures annos, idem carbo retineatur, & omnis aër externus ab ipso removeatur, ut nunquam vel minimam fusionem admissurus, nec minimum etiam de suo corpore amissurus, sed eâdem formâ rursus egressurus sit, quâ in ignem immissus est.

Pari ratione ligneus carbo centum, imò etiam mille annos in terrâ, aquâ, aut etiam acerrimis aquis corrosivis illæsus durare potest. Examen hoc acerrimum nec Aurum, nec Argentum, licet purissima, & constantissima, sustinere possunt. Ac licet carbo adeò sit durabilis, nihilominus ipsum dimidiæ horæ intervallo solvam, & in rubrum lapidem salsum convertam, qui aquâ se solvi patiens, mirabilem liquorem, tàm in Medicinâ, quàm Alchymiâ incredibilium operationum effectorem, ut sequetur, exhibet.

LIX. *Quodnam Sal Mirabile ad carbonum solutionem adhibendum sit.*

DIversimodè Sal Mirabilis paratur, ut ex Secundâ Parte Miraculi Mundi constat. Quo-

cuiuque autem modo paretur, ad Carbonum ligneorum ſolutionem commodè adhiberi poteſt, nec ullâ præparatione ulteriore indiget, ſed ità ut ex cucurbitâ exemptus, & adhuc corroſivus eſt, ad omnium rerum ſolutionem adhibetur.

LX. *Dimidiæ horæ ſpacio, per Salem Mirabilem, quemvis carbonem ligneum ad Primam Materiam, i. e. in Salem Sulphureum reducendi Modus.*

DUabus, aut tribus unciis Salis Mirabilis, in tigillo, aut crucibulo aliquo fuſis, injice fruſtum carbonis lignei, ac in eodem tigillo, quod operculo ſuo teges, per dimidiam horam in fluxu relinque, ut ità Sal tantum iſtius carbonis ſolvat, quantum poteſt, ac reliquum, quod ſolvere non valet, inſolutum dimittat. Materiâ effuſâ, invenies rubrum lapidem Salis, qui linguæ admotus inſtar ignis eam aduret, ſicut omnes Sales Alkali faciunt. Nam corriſiva vis per Sulphur Vegetabile invertitur, & in Alkali mutatur.

Hic ruber Carbunculus in aquâ ſolutus viridem liquorem largitur, qui per Filtrum trajectus, & aliquot horas quieſcens, albo colore apparet, ac diutius in quiete relictus flavum colorem acquirit. Una ejus gutta, ſulphureo more, Imperialem deaurat, ſi ipſi imponatur. Carbo enim ligneus nihil aliud eſt, quam Sulphur, ejuſdem naturæ cum Minerali Sulphure, & omnia Metalla

talla penetrans, cum ipsis se figi patitur, ac aliàs omnia ea præstat, quæ Minerale Sulphur præstare potest.

Scitè admodum Sendivogius in suo de Sapientum Sulphure colloquio; Probè, inquit, munitus, & in tenebroso carcere captivus sedet, ac haud facilè liberatur; sed Sal ipsi mortale vulnus infligit.

Sulphur igitur hoc in nigro Carbone sedet, in tenebroso, & obscuro carcere, vinculis arctis conclusum, & captivum, nec à nemine alio vinculis illis expediri potest, nisi à Sale. Ex carcere autem suo expeditum, ac non citius, in conspectum prodire solet.

Sic Sulphur ex obscuro suo corpore eduximus: Nunc idem etiam in conspectum publicum producemus.

LXI. *Quomodo Sulphur Vegetabile visibile reddendum sit.*

IN albam solutionem Carbonum, si infuderis acidum aliquod, ut acetum, Spiritum Salis, Vitrioli, aut Aquam Fortem, idque sensim ac pedetentim, ac tantum, quantum ad occidendum Salem Alcali requiritur, Sulphur instar albi pulveris in fundo subsidebit, quod à Salibus separatum, aquâ dulci elotum, & siccatum ardebit, & viribus Minerali Sulphuri exactè respondebit.

LXII. *Alius Modus demonstrans, quod in omnibus Vegetabilibus Minerale Sulphur lateat.*

HUnc ex Sale expressum, & viridem, aut album lignorum, vel carbonum succum, in cucurbitâ vitreâ, in pulverem redacto Sali Armoniaco affunde, cucurbitæ alembicum impone, luto probè adjunctum, ac omnem humiditatem per distillationem elice; in quâ distillatione Salis Armoniaci Spiritus, Vegetabile Sulphur, aureo colore indutum, per Alembicum educet. Penetrantissimus est Spiritus, & mirabilis in Alchymiâ, & Medicina efficaciæ, id quod facile fit verisimile illi, cui ejus penetrans, & graduans virtus & proprietas, quâ omnibus aliis Spiritibus penetrantis naturæ antecellit, non ignota est. Cautè autem custodiendus, quia facili negotio evanescit.

LXIII. *Adhuc alius idem Sulphur Carbonum visibile reddendi Modus.*

CArbunculum nostrum ex tigillo effusum in pulverem comminue, ac ipsi admisce dimidium pondus Salis Ammoniaci in pulverem redacti. Ex vitreâ retortâ utramque materiam exactè commixtam per distillationem evoca, ut Sal Armoniacus Sulphur illud secum abducat. Rubram hanc materiam, per sublimationem evocatam,

tam, aquâ communi elue, quæ Sale Armoniaco liberata, Sulphur eſt, rubore ſuo ad flavum colorem declinans, & Minerali Sulphuri penitus ſimile.

LXIV. *Alius item ex Carbonibus idem Sulphur extrahendi Modus.*

Exactè primum per Salem Mirabilem carbones in tigillo funde, ut Sal per Carbones accuratè alcaliſetur, ac linguam inſtar ignis urat. Deinde effunde, ac in pulverem redactos Carbones in Phiolam aliquam immitte, quibus Spiritum Vini, omni ſuo Phlegmate liberatum, affundes. Poſtea Phiolam calidæ arenæ impones, ipſamque ſæpius exemptam motibus frequentibus agitabis, ut Spiritus Vini Sulphur extrahat, & Salem intactum relinquat. Spiritum inſtar ſanguinis rubentem, in aliud vitrum effunde, ac materiæ rurſus alium Vini Spiritum affunde, ac priorem operationem itera. Hæ affuſiones & effuſiones tot laboribus iteratis repetendæ ſunt, donec Spiritus Vini affuſus nihil amplius extraxerit. Omnibus his rubris Extractionibus cucurbitæ immiſſis, Spiritus vini per balneum ſeparandus eſt, qui in cucurbita ſanguinei coloris oleum dulce relinquet, tanti momenti medicamentum, & theſaurum in omnibus morbis Chronicis, cui nullus alius præferendus eſt. Nam hoc Sulphur, Minerali, ut plurimum Arſenicali aliquâ proprie-

tate adhuc imbuto, longè præſtat, quippe ex lignorum carbonibus extractum, atque id propter longè purius, & neceſſariò valetudini humanæ magis conducens.

Totius operationis hoc pretioſum Sulphur Balſamicum, quod Auro Potabili haud multum cedit, debito modo conficiendi cardo omnis in eo verſatur, ut Sal Mirabilis, per Carbones, probè, & accuratè alcaliſetur. Quod ſi ſecus fieret, Spiritus Vini Sal Mirabile ſolveret, & Sulphur non extraheret, nec etiam voto tuo ſatis faceret, ſi omni ſuâ humiditate non exutus fuerit.

Qui hujus operationis debito modo tractandæ admodum peritus erit, excellentiſſimum conſequetur medicamentum, Auro Potabili haud multum cedens, ſaporis dulcis ac ſuavis, & odoris atque coloris, admodum grati. Tali pacto ex mortuo ligno, aut mortuâ herbâ, in primâ Solutione, per aquam, ipſius viriditas, & poſt extractionem per Spiritum Vini, pulcherrimus color ruber, cum ſuaviſſimo odore vegetabili, quæ omnia in nigro carbone occulta jacuêre, in conſpectum rurſus produci poſſunt.

Hujus pulcherrimi Olei Sulphuris, haud exiguus, in Metallicis Operationibus, aliiſque artibus eſt uſus, atque hæc velox mortuorum vegetabilium in vivam medicinam Putrefactio, & Revificatio magnum Myſterium, in receſſu ſuo abſconditum gerit. Ità enim nigra mors, quando

in

in ſepulchrum ad Eliſæi mortua Oſſa conjicitur, ad vitam revertitur, & revireſcit.

Multa profectò dicenda hîc nobis ſuppeterent, ſi temporis anguſtiâ non impediremur. Sufficiat tamen nobis in præſentiâ didiciſſe, quod fieri omninò poſſit, ut omnia Vegetabilia mortua, per Salem Mirabilem, priſtinam ſuam vitam recuperare, & revireſcere queant.

XLV. *Quæritur, An ad hanc revificationem mortuorum Vegetabilium, ipſi carbones ſoli, & non etiam viridia, aut arida ipſorum ligna, & herbæ requirantur?*

RESpondetur: Etiam ipſa herba, aut ipſum lignum non combuſtum, per Salem Mirabilem, in crucibulo, in rubrum lapidem mutari poteſt, Operatio enim ad eundem finem tendit, ſive herba, ſive lignum aut viride, aut aridum, aut in carbonem mutatum fuerit.

LXVI. *Quæritur; Quodnam lignum, aut quæ herba, dicto modo, per Salem Mirabilem mutata, præclariſſimum Medicamentum exhibeat?*

RESpondetur: Graviſſimi ponderis ligna præ cæteris omnibus excellunt. Etenim maturiora, meliore Sulphure abundant, quam illa ligna, aut illæ herbæ, quæ leviora, dimidii anni ſpacio enata ſunt. Quò vetuſtiores ſunt arbores,

eò aptiores ad medicinam exiſtunt. Tales ſunt Vitium radices, Juniperus, Buxus, Fagus, Quercus, Cedrus, & ſimiles.

LXVII. *Demonſtratio, quod ex mortuis & ad vitam revocatis herbis, ſine additione Seminis aliarum herbarum, novæ herbæ produci queant.*

OLlas nonnullas fera aliquâ terrâ, aut argillâ, omnibus herbis aut ſeminibus carente, repleto, atque viridi aut albo Carbonum ſucco humectato. Has ſi pluviæ & Soli expoſueris ex ipſis diverſæ novæ & incognitæ herbæ enaſcentur.

LXVIII. *Quomodo, Salis Mirabilis adminiculo, Metalla per viam ſiccam ſolvenda, & in præſtantiſſima Medicamenta mutanda ſint: Ac primum de Auro.*

DE Auro periculum facturus, curvando aureum nummum complica, eique adjunge Salis Mirabilis tantum, ut ponderi Auri quinquies, ſexies, aut octies pondere ſuo reſpondeat. In furno venti colliqua, & in vas fuſa metalla recipiens infunde, in quo purpurei coloris Salem invenies. Si totum Aurum non ſolutum fuerit, ſed pars ejus in fundum præceps abierit, illum Regulum à Sale purpureo ſepara, & novo Sale Mirabili in crucibulo ſolve, ut ità omne Aurum ſolutum purpurei ſalis colorem induat.

Auri

Auri Sale hoc purpureo multa perquam utilia præſtari poſſunt, quæ hujus loci non ſunt. Ex his præcipuum locum obtinent, quæ Metallorum emendationem concernunt, de quibus unicam duntaxat Operationem hîc ſubjungam.

LXIX. *Cujuſcunque Ferri, per hunc Salem purpureum, in Aurum Gradatio.*

VT hoc debito modo peragatur, in promptu eſſe debent lapidea tigilla, & quidem optima, quæ Salem nullo modo abſorbent, aut eidem ſint pervia, quandoquidem Auri cum Sale, in ejuſmodi tigilla non ſatis fortia, aliàs ſe abſcondere ſolet. Si talium compos fieri nequis, ſatius eſt, ut hoc labore ſuperſedeas, quàm tui Auri jacturam facias, niſi ſi forſan tentaminis faciendi, & poſſibilitatem explorandi cauſâ hoc diſcrimen ſubire velis.

Si quintam Auri, tuo Sali additam, aliquo augmento locupletare deſideras, duas, aut tres quintas ferreorum filorum in bonum crucibulum immitte, ac cum purpureo Sale adjuncto accuratè liquefac per dimidiam horam, quo tempore Aurum ex Sale in ferro ſe præcipitabit, ac aliquid de ipſo per gradationem in Aurum convertet. Nam purpureus Sal dum Ferrum arrodit, & conſumit, ſimul etiam de ipſo aliquid naturæ aureæ per gradationem particeps reddit.

Non ideò hanc Operationem hîc inſero, ut

F 6 ejus

ejus ope quis ingentes Auri maſſas conſequatur, quandoquidem illud duntaxat mihi propoſui, ut rei poſſibilitatem oculari demonſtratione confirmem.

Quemadmodum autem hîc Ferrum, adjumento Auri, aut Aurei fermenti in Aurum graduatur: ità etiam Cuprum Argentei fermenti acceſſione in optimum Argentum graduari & extolli poteſt, ut ſequitur.

LXX. *Cuprum in Argentum exaltandi Modus.*

ARgentum in crucibulo perSalem Mirabilem, ex Salepetræ & Olei Vitrioli, compoſitum ſolve, quâ ſolutione viridem Salem acquires, idoneum ad Cupri in Argentum gradationem, & exaltationem, eo modo, quem paulò antè de Auro docuimus. Ac quanquam Argenteum augmentum haud ita magnum ſit, artis tamen poſſibilitas inde apparet, & demonſtrat, quod unum Metallum ſe in alterum converti patiatur. Hujus tamen laboris ritè tractandi peritus, ſi bonis & ad eum aptis crucibulis inſtructus fuerit, quæ Salem Mirabilem retinent, & non abſorbent, haud parum commodi & fructus ex eâdem Operatione percipiet. Scoriæ, quæ in hâc & præcedente operatione ſuperſunt, non abjiciendæ, ſed cum Litargyrio miſcendæ ſunt, ut per folles reductæ Plumbum graduent, & haud contemnendâ

dâ Auri & Argenti acceſſione locupletent. Magnæ enim hujus Salis in Gradationibus ſunt vires, quod Veteres Philoſophi ſatis apertè innuerunt, dicentes, quod Sal ipſorum Auri ruborem, & Argenti alborem augeat. Hoc veriſſimum eſſe ille propriâ experientiâ diſcet, qui debito modo Operationem peregerit.

Ne autem quis error committatur, & Auri aut Argenti aliqua jactura fiat, ſatius eſt, ut quis in minoribus Metallis experimento faciendo ſe exerceat, & Aurum atque Argentum tam diu omittat, donec illa minora Metalla ipſum ſatis exercitatum Magiſtrum ad illa majora remittant.

LXXI. *Quomodo in fuſione, Salis Mirabilis adjumento, Ferrum in Cuprum exaltari queat.*

VNum aut duos Cupri lotones totos, in fuſione, per Salem Mirabilem, diſſolve, quæ ſolutio tibi ad nigrum colorem à viridi, vergentem Salem dabit. Eidem tigillo, quod Cuprum Sale Mirabili ſolutum continuit, tres aut quatuor lotones fruſtorum Ferri impone, ac Cuprum Sale Mirabili ſolutum iis adjunge, igneque urge, ut per dimidiam horam in fluxu continuo unà conſerventur. Hoc modo ſolutum Cuprum Ferro per præcipitationem adhærebit, atque ipſius Ferri particulas aliquas in Cuprum exaltabit. Probè fuſa cuncta, in vas Metalla fuſa recipiens, effunde, ut Cuprum in Regulum ſubſideat. Sal Mira-

Mirabilis, & Ferrum in ſcorias mutata, ad litargyrium, per follium fortem fuſionem, Auro & Argento ditandum utilia ſunt.

NB. Si Mercurius Saturni cum his ſcoriis, aut etiam cum iis, quæ, de Auro & Argento reſiduæ, longè ſunt meliores, miſceatur, ac forti igne colliquetur, Plumbum haud contemnendo augmento emendatur, ac labores, ſumptuſque ſatis abundè compenſat. Nulli tamen author exiſto ad ingrediendum, & ſuſcipiendum hunc laborem, niſi fuſiones tàm in crucibulis, quàm ſine iis, per folles, in focis probè calluerit. Nam non hæc tyronibus ſcribo, ſed iis duntaxat, qui artem fuſoriam cognitam & perſpectam habent.

Ut autem laborum ipſorum aliquam manuductionem quis habeat, uſum Salis Mirabilis generalem in emendatione Metallorum indicabo.

LXXII. *Vſus Salis Mirabilis in Metallorum Emendatione Univerſalis.*

QUanquam Artis Sal Mirabile omnia Metalla ſolvit, & quaſi Spirituali modo conjungit, ac in igne ad ſe invicem emendandum efficacia reddit, diſcrimen tamen eâ in re obſervandum eſt illi, qui viæ proximæ inſiſtendo, quævis diverticula declinare cupit. Exempli gratia:

Metalla, Aurum, Argentum, Plumbum, Cuprum, Stannum, & Ferrum Sale Mirabili ſoluturo, & conjuncturo, ut in igne ad perfectionem, in ſe

in ſe invicem vires ſuas operando exerceant, ad Aurum, Ferrum, Cuprum & Stannum ille quidem Sal Mirabilis adhibendus erit, qui ex Sale Communi paratus facili negotio Metalla illa ſolvit. Idem contra ad Argenti & Stanni ſolutionem adhibitus, nihil efficeret, quia nulla Sali Communi familiaritas & neceſſitudo cum Lunâ, & Saturno intercedit, utpote illorum Metallorum hoſti, qui eadem occidit, & in nihilum redigit.

NB. Quando autem Metalla illa Salis adjumento, in ſuos Mercurios reſoluta ſunt, tunc fieri poteſt, ut cum Auro, Ferro, Cupro, & Stanno conjungantur, quia ſine præmiſſâ præparatione, Salem non ingrediuntur, niſi Luna, & Saturnus in illo Sale Mirabili, qui ex Nitro paratus eſt, ſolvantur, ac Martis & Veneris ſolutioni adjungantur, quarum ſolutionum una alteram libenter admodum amplectitur,ità ut unum Metallum in alterum facilem operationem exerceat, atque ita utilis gradatio, fixatio, & emendatio ſequatur. Si autem Metalla non conſtantia in igne, ſed volatilia, & fugacia reddenda ſunt, Sal illud Mirabile uſurpandum erit, quod ex Salepetræ, vel Culinari Sulphuris adminiculo, paratum eſt.

Hic eſt Salis Mirabilis uſus univerſalis Solutioni, Gradationi, Fixationi, ac contra Volatiliſationi, ſeu in fugacem naturam Converſioni omnium Metallorum inſerviens.

Speciales autem ipſorum per Sales Artis Solutiones, Fixationes, aut Gradationes requirunt addi-

additionem Sulphuris alicujus Vegetabilis, quod Metallo adjunctum, Sali Artis opem fert in Gradatione vilioris Metalli, quo auxilio Conjunctiones Metallorum, quæ Sulphuream naturam obtinent, neutiquam egent, quanquam tamen satius est, ut ipsis Sulphure aliquo Vegetabili succurratur. Sulphur enim & Sal Artis, instar Maris & fœminæ, mutuo amore se invicem prosequuntur, ac divitem prolem generant, quando vel sola, & quidem sine ullius Metalli additione, in igne amori suo indulgent, & ad perfectionem deducuntur: Ita diversis modis & viis tàm particulariter, quàm forsan etiam universaliter (quod posterius quidem me hactenus fugit) his Operationibus commodum, & lucrum acquiri potest.

Cuncta hæc sufficienter, imò abundè viam alicui monstrant perveniendi, Salis Artis ope, ad acquisitionem rerum, quæ sunt alicujus ponderis. Sapienti sat dictum.

Licet Metalla à Sale Mirabili, per siccam viam, facillimam solutionem admittant, ea tamen solutio adhuc commodius sequenti modo perfici potest, nimirum quando Metalla in Distillatione Spiritus, etiam cucurbitæ aut retortæ imponuntur. Dum enim Spiritus, secundum artem, ex vasis illis distillatoriis expellitur, Metallum, durante distillatione, solvitur, ac apud Salem Mirabilem in fundo manet. Quicquid verò de ipso reliquum est, & solutionem non admisit, illud remo-

removetur. Sal autem Aurificus, Lunificus, Venereus, &c. ad usus eos adhibetur, ad quos necessarius est.

NB. Si cui libet distillatum Spiritum Sali Metallico, quod in fundo mansit, rursus affundere, ei facere illud integrum erit, & utile; quia Sal ille Metallicus hoc pacto longè commodior, & aptior ad transmutationem redditur.

Ut verò quis à rectâ viâ minus aberret, necessarium est, ut prius indicemus, quomodo Metalla, ex quibus emendatis Aurum & Argentum extrahenda sunt, prius debeant apparari, ut eò facilius se exaltari, & emendari patiantur. Cuncta enim modo præscripto agenda, & termino ac scopo suo destinato definienda sunt, si quid utilitatis aut commodi quæritur.

Luna & Saturnus nullâ commistione Sali Metallico se associant, nisi prius in suos Mercurios eadem Metalla redacta fuerint, de quâ re in Tertiâ, & Quartâ Parte Prosperitatis Germaniæ prolixè actum est.

LXXIII. *Quânam ratione Imperfecta Metalla per Salem Mirabilem in perfecta mutari possint.*

℞. Salis Mirabilis ℥iiij. Laminarum vel Rasuræ Veneris ℥ß. Utramque hanc materiam continens tigillum Hassiacum, forte, & duplex, ac operculo suo benè tectum, impone furno venti,

 & per

& per dimidiam horam fusione forti colliqua, ut Sal Mirabilis Cuprum ritè solvat, & spirituale reddat. Huic Cupro, quod spirituale est redditum, adde dimidiam partem Mercurii Saturni quoad pondus, ac utrumque Metallum, iteratâ fusione, per dimidiam, aut etiam totam horam colliqua. In hac conjunctione, & operatione spirituale Cuprum Saturno, per gradationem, haud exiguam emendationem, & fixationem conciliabit. Quò diutius enim in fluxu unà conservantur, eò majorem emendationem Saturnus acquirit. Nullus tamen Regulus ita per se fundum petere potest, nisi Ferrum in fusione adjungatur, cujus tamen nullum certum est pondus. Nam quando aliquot duntaxat ejusdem frustula, aut particulæ liquatis illis materiis in tigillo imponuntur, corrosione ferri Sal occiditur, ac Saturnum emendatum dimittit, qui in Cupellâ Aurum & Argentum relinquit.

Hic modus ad Metallorum emendationem Sale Mirabili utendi viam ostendit.

NB. Alia quoque Metalla per Salem Mirabilem spiritualia reddi possunt, quibus non solum Saturnus, sed etiam Luna graduetur, aut ad aureum gradum evehatur. Saturnus tamen ad hanc operationem commodior, & aptior, quàm Luna existit. Nam quando Mercurius Saturni graduatur, & reducitur, nullo alio labore opus est, quàm ut Regulus ille in Cupellâ separetur, ubi Argentum & Aurum in Cupellâ relinquit. Si autem

autem Mercurius Lunæ per gradationem emendatur, atque in Regulum præcipitatur, per plumbum in Cupellâ prius ſeparandus, ac poſtea per Aquam Fortem Aurum & Argentum ſegreganda ſunt, ut ita duplex labor requiratur, qui unicus tantum eſt in operatione per Saturnum, ideò in his operationibus Lunæ præferendum.

NB. Cuncta ſubjecta virtutem gradatoriam obtinentia, ut Lapis Calaminaris, Hæmatites, Smiris, Granati, Talcum, &c. ad hos labores uſurpari poſſunt. Omnibus tamen Aurum præſtat, quo ſi uti quis voluerit, inſtructus ſit oportet ejuſmodi tigillis & crucibulis, quæ Aurum non abſorbent, atque ita plus abripiant, quàm lucrum ipſum conferat. Cuncta ſingulari peritiâ, & diligentiâ peragi volunt, ſi quid commodi & utilitatis expectandum ſit.

Sic ſimplicis Salis Mirabilis uſum in Metallorum emendatione demonſtravimus.

Sali Mirabili Sulphur aliquod adjunctum longè utiliore gradatione Metalla exaltat, & plus lucri adfert, quàm ſimplex illa operatio, ſolo & ſimplice Sale Mirabili peracta.

LXXIV. *Aurum contrà ſuam naturam, mei Salis Mirabilis ope, cum quovis Sulphure Vegetabili ardente, & fugace conjungendi, & alia Metalla emendandi Modus.*

SAtis cognitum, ac perſpectum unuſquiſque habet, nullam ardenti Sulphuri affinitatem & familiaritatem cum Auro, quod fixum eſt Sulphur, intercedere, cum maximâ utrumque inimicitiâ inter ſe diſſideat, ac Inimicitia tamen hæc tandem in ſummam amicitiam mutetur. Nam apud omnes eos qui Aurum fuſum ab Argento per præcipitationem ſegregare ſolent, in more poſitum eſt, ut Sulphur commune ad illam præcipitationem uſurpent, quod innatâ ſuâ antipathiâ Aurum ex Argento exturbat. Idem fit in humidâ viâ, cum idem Aurum ex Aquâ Regis, vel Spiritu Salis per Sulphureos Sales, quales ſunt Tartarus Crudus, Sal Tartari, Spiritus Urinæ, & cæteri Sales Alcali, ad fundum præceps agitur.

Indicio hæc ſunt, quod Aurum Sulphur, tanquam hoſtem ſuum capitalem, cane pejus & angue oderit & fugiat, quos tamen hoſtes inimiciſſimos Sal Mirabilis facillimo negotio rurſus ad amicitiam reducit, tantam inimicitiam in ſuavem amicitiam convertens. Hæc Operatio magna Myſteria latebris ſuis recondens, hunc ingratiſſimum Mundum jure ac merito latet, ſi illa myſteria excipiantur, quæ me inſcio, in Laboratorio meo in hoſtium manus inciderunt, qui nullâ ſuarum lite-

literarum Reverſalium, mihi loco juramenti exhibitarum, ratione habitâ, tantis ſecretis jam mercaturam exercent, ac benignitate meâ tam turpiter abutuntur. Idcircò conſultum mihi viſum fuit ea, quæ in ipſorum poteſtatem venerunt, toti Mundo revelare, ut ita unicuique innoteſcat, tanta Secreta non ab aliis, aut iis ipſis meis hoſtibus, ſed à me ipſo ſolo profecta eſſe.

℞. 1. Quintam, aut plus aut minus Auri in tenuiſſimas laminas aut bracteas redacti, & in cylindri formam incurvando redige, eique adjunge *6*. 8. aut 10. partes Salis Mirabilis, quas materias in tigillo accuratâ & forti fuſione liquabis. Cum fluunt, aliquot fruſta carbonum Sali & Auro, in tigillo fuſis, injicies, ut Sal Mirabile Aurum & Carbones in fuſione ſolvat, id quod dimidiæ circiter horæ ſpacio eveniet. An benè operatus fueris effuſa materia tibi indicabit, in quâ omne Aurum, ut & Sal Mirabilis, ac carbones ſoluta, & in rubrum, ac linguam inſtar ignis urentem, lapidem mutata invenies.

Hic ignis & ruber Lapis Aureus eſt Carbunculus Veterum, utpote qui in tenebris inſtar prunæ, aut carbonis candentis, lucet, ac in Medicinâ & Alchymiâ tàm admirandos effectus producit, quos in præſentiâ revelare conſultum non ducimus. Mihi, in Laboratorio meo, à perverſis & perfidis hominibus hujus Carbunculi confectio & præparatio furtim ablata eſt; furtim inquam: Nam quando fallaces homines, ovinas pelles in-

puti, & amicorum ſpeciem præ ſe ferentes, ad te veniunt, ac melle dulcioribus verbis animo tuo ſe inſinuantes efficiunt, ut ipſis fidem habeas, & bona fide ſecreta tua communices; Ipſi verò è contrario, poſtquam ea nacti, quorum compotes fieri potuerunt, nullis aliis ſecretis te amplius emungere poſſunt, ingratiſſimo animo ſe ſubducunt, tibi diabolicum fœtorem, pro beneficiis acceptis relinquunt, ſcripta tua, tanquam inutiliſſima, & falſiſſima, paſſim apud ſummos & imos traducunt, & te, pro debitâ tibi gratiâ, iniquiſſimis conviciis proſcindunt, ac lacerant; Annon ejuſmodi homines tibi Artem, honorem, & bona ſuffurantur? Hinc à veritate non diſcedo, quando ſeriis verbis aſſero, hunc Carbunculum, omnium precioſorum Lapidum Regem, perfidiſſimo & iniquiſſimo furto mihi ablatum eſſe. Totum tamen non perdidi, quia multiplex tanti theſauri uſus, nondum in poteſtatem hoſtium meorum incidit. Firmiter autem Benevolo Lectori affirmo, admiranda hoc ipſo Lapide Aureo præſtari poſſe, quæ non temerè literis committenda, ſed Amicorum verorum fide & taciturnitate munienda ſunt. Nam hoc contrà naturam, cum Sulphure & Sale, conjunctum Aurum, eo pacto recluſum, apertum, & paratum eſt, ut facillimo negotio, & diverſis modis, à diverſis Menſtruis, ſive Acidis, ſive Urinoſis per Alembicum avehi, & puri ab impuro ſeparatione, ſpirituale reddi queat.

Ac licet hîc nullâ circuitione uſus rem non aper-

apertius eloquar. Sapientibus tamen ſat dixi, & eam viam ingrediendam oſtendi, quâ abſque negotio ad feliciſſimum & optatiſſimum finem ipſis pervenire integrum erit, niſi Deus ob ſingulares cauſas illud prohibuerit.

Ne autem Artis Filiis conclave Artis penitus occludam, ex hoc Carbunculo optimi medicamenti confectionem ipſos docebo.

LXXV. *Ex Auri Carbunculo præſtantiſſimum Medicamentum conficiendi Modus.*

HUic Carbunculo in pulverem contrito affundendus eſt optimæ notæ Spiritus vini, qui Tincturam extrahat. Hic tinctus in aliud vitrum effundendus, novuſque iterum materiæ affundendus eſt, ut rurſus in calore novam tincturam extrahat. Hos labores iterando toties repetas oportet, donec Spiritus, omni tincturâ extractâ, nullo amplius colore imbuatur. Spiritus in balneo per Diſtillationes evocatus, in fundo ruberrimam Tincturam, in formâ liquoris, ſub nomine COS relinquet. Color, Odor, & Sapor hic adſunt; Color & odor ex Auro & Sulphure, ſapor ex Sale. Reliquiæ, quæ poſt Tincturæ extractionem ſuperſunt, non ſunt, ut inutiles, abjiciendæ, ſed cum novo Sale Mirabili, & carbonibus ex ligno vitium, per fuſionem, in rubrum Lapidem convertendæ, ac tamdiu extrahendæ, donec omne Aurum cum Sulphure Vegetabili in Medi-

camentum conversum fuerit. Nam unus labor non totum Aurum per Spiritum Vini extrahit, sed pluribus vicibus iterati labores scopum propositum attingunt.

Habes, Amice Lector, magni momenti, & magnarum virium Medicinam, in quâ Vitis & Auri purissimæ partes conjunctæ, nihil aliud, nisi Hominibus & Metallis, utilissimum Medicamentum exhibere possunt.

LXXVI. *Quomodo hujus Medicamenti ope, Vegetabilium Seminibus, tàm præclara crescendi facultas conciliari queat, ut quasi ad oculum crescant, & multo nobiliorem naturam, colores, sapores, & virtutes consequantur, quam ex fœtido fimo nancisci solent.*

VNam partem pinguis limi, argillæ, aut terræ in pulverem comminutam commisceas cum quatuor arenæ partibus, ut ita terræ pinguedo aliquâ ratione temperetur. Hâc mixturâ impleas ollam aliquam, quales illæ sunt, in quibus hortulani flores suos conservant, eique affundas aquam pluviam, parum illius, ex Carbunculo parati medicamenti, admixtum continentem, terræque inseras ex iis herbis nonnullas, quæ ab hyberno frigore illæsæ manserunt. Ollam cum insitis herbis calido aëri expone, ita tamen, ut non sit obnoxia pluviæ, quæ aliàs nutrimentum illud medicamentosum abluere posset. Ubi terra exsiccata fuerit

fuerit affuſio medicamenti ex carbunculo eſt iteranda, idque toties, quoties neceſſitas poſtulat. Sic herbæ enaſci incipiunt, quæ ſi, præter aquam pluviam, nullum aliud nutrimentum offendunt, nihil aliud etiam attrahere poſſunt, quo ipſarum facultas creſcendi promoveatur, & augeatur. Quia verò Aureum Medicamentum aquæ pluviæ adjunctum eſt, neceſſariò herbæ illud cum aqua ad ſe trahunt, & alias proprietates adipiſcuntur, quàm ſi ex fœtido fimo vaccino enaſcantur.

NB. Ollæ herbas continenti, patina, ex bonâ & firmâ terrâ, aut etiam Metallo aliquo facta, ſupponenda eſt, quæ aquam medicamentoſam, per Ollæ ſuperioris fundum perfluentem, aut deſtillantem excipiat, & acceptam non imbibat, ſed conſervet. Non incommodum etiam eſſet, ut in inferiori patinâ aliquid medicinalis illius aquæ collocaretur, quæ ſuperioris ollæ fundum humectaret, atque ita indeſinens nutrimentum herbis ſuppeditaret. Ipſa quoque olla melior eſſet, ſi non ex terrâ ſed ex Metallo aliquo pararetur, ut ita precioſam illam aquam non abſorberet, ſed potius conſervaret.

LXXVII. *Quid in hac Operatione obſervandum ſit, ut bonus ex eâ effectus prodeat.*

PRimo accuratè attendendum eſt, ne limus, aut terra ſumatur, aliquâ facultate ſalſâ pollens, aut aliam aliquam proprietatem corroſivam obti-

nens, quales terræ quidem frequenter occurrunt, quæ crescendi facultatem impeditura, & corruptura essent.

Secundo affusionis, quæ terram debet humectare, debitam rationem quis habeat oportet, ne semen nimiâ humiditate suffocetur, aut debitæ humiditatis inopiâ laborans exarescat.

Tertio ipsius Medicamenti etiam modus est habendus, ut nec plus, nec minus justo ejusdem cum aquâ pluviâ commisceatur. Nimia enim Medicamenti copia semen comburit, & ejus parcior frequentia satis nutrimenti herbis sufficere nequit. Porrò aquæ nonnihil Moschi, aut aliarum rerum, fragrantem odorem spirantium, immisceri potest, quæ additio herbis fragrantissimum odorem conciliare solet. Siquis, ob nimios sumptus, prædictum medicamentum preciosum, ad hanc operationem adhibere vereretur, posset illam usurpare tincturam, quam ex Solis carbonibus sine auro parare paulò suprà docuimus, & quæ quidem illa omnia, quoad crescendi facultatem, præstabit, quæ Medicamentum illud Aureum præstare solet, unico hoc excepto, quod herbæ aureæ illius proprietatis, quam per Aureum illud Medicamentum consequuntur, non fiant participes.

Quæ hic scripsimus, & de facultate crescendi in herbis Aureis promovendâ palàm fecimus, licet magni ponderis non esse videantur, magni tamen momenti mysteria occulunt, quæ adhuc

plures artifices animadvertent, atque in usum suum convertent.

LXXVIII. *Quomodo per Salem Mirabilem quodvis lignum, aut quivis carbo ligneus ita parandus sit, ut diu igni resistere poßit.*

SAli Mirabili aquâ communi soluto lignum aliquod, aut carbonem ligneum, per aliquot dies, impositum, aut tàm diu in eo relictum, ut liquorem probè imbibat, & ponderosus evadat, exime, & apud ignem accuratè exsicca, ut omnis humiditas evanescens, in ligno Salem Mirabilem relinquat. Idem solutioni dictæ rursus impone, exemptumque denuò exsicca, qui labor eò solidius lignum reddit, quo sæpius iteratus fuerit. Sic omnes pori ipsius Sale replebuntur, atque excludetur aër, ut amplius illud penetrare nequeat, sine quo tamen nullum lignum flammam concipere, aut ardere unquam potest. Si itaque tale lignum, aut tales carbones, cum aliis lignis, & carbonibus in ignem immiseris, hæc ab igne brevi tempore consumentur, & in cineres redigentur; Illa verò intacta manebunt, & illæsa eximentur, quamvis tandem etiam idem combustionis periculum ipsis subeundum foret, si nimis diu in igne jacitura essent. Liquet hoc ex carbonibus ponderosiorum lignorum, majore salis copiâ abundantium, ut sunt quercus, fagi, juniperi, vites, aliæque ponderosis lignis constantes arbores,

quarum carbones longè diutius in igne durant, quam illi, qui ex abietibus, pinis, alnis, ſalicibus, ac ſimilibus arboribus levioribus, & minorem ſalis copiam habentibus conficiuntur, quod non dicis gratia hîc enarro, ſed eum in finem, ut datâ occaſione, ex tali cognitione aliquod commodum hauriendi anſam præbeam. Exempli gratiâ:

LXXIX. *Quomodo ejuſmodi ligna, quæ indeſinenter igni adeò prope admota adſunt, ut ſemper in periculo incendii verſentur, ac proinde damnum minentur, ab incendio conſervari queant.*

SAlem Mirabilem aquâ ſolutum, penicillo aliquo illine ligno tali, quod igni propè admotum incendii periculo expoſitum eſt. Idem, poſtquam exſiccatione aquâ illa liberatum eſt, rurſus eâdem aquâ humectato, totieſque humectationem hanc repetito, uſque dum Salis Mirabilis ſufficientem copiam exhauſerit, ac ardori reſiſtendo par evaſerit. Hoc pacto magnis ſæpè ſolicitudinibus & curis liberari poſſent mortales, quoad naves pice oblitas, atque alibi, ubi ob nimiam aridorum lignorum propinquitatem ab incendiis periculum imminet.

LXXX. *Quo-*

L X X X. *Quomodo Salis Mirabilis auxilio, quodvis lignum conservandum sit, ut longo tempore ab aquâ nullo damno afficiatur.*

QUi lignum conservare cupit, ut nullo damno ab aquâ afficiatur, ut etiam longe tempore non putrescat, sequenti ratione voti sui compos reddetur. Lignum accuratè siccatum forti Oleo Vitrioli exactè humectet, & humectatum, Sale Mirabili in pulverem contrito, aspergat, ut Oleo Vitrioli benè adhærere possit. Nam Oleum Vitrioli lignum penetrando, secum Salem in id deducit, ac superficiem ejus externam ubique nigrâ crustâ obducit, perinde ac si ipsum lignum igne adustum esset. Quia verò carbones putrefactioni resistunt, necessarium omninò est, ut lignum dicto modo adornatum, diu in aquâ illæsum maneat.

L X X X I. *Salis Mirabilis ad hunc laborem præparatio.*

EX Salis Mirabilis confectione diversâ haud exiguum inter ipsos Sales discrimen oritur. Si oleum Vitrioli, quo hic Sal Mirabilis paratur, ob superfluam humiditatem non satis forte fuerit, facile quis conjicere poterit, Salem Mirabilem bonum ex eo fieri non posse, quia Sal Culinarius exiguam ab ipso mutationem recepturus esset. Ut igitur incommodum hoc declinetur, sumenda erunt Salis, & Olei æqualia pondera, ut ita quis certus

certus esse possit, quod Sal communis probè inversus, probus Sal Mirabilis èvaserit.

LXXXII. *Quo pacto periculum fieri possit, quod Sal Mirabilis debito modo paratus sit, & ad hunc, aliosque usus parari queat.*

COlor ejus debet esse albus, & pellucidus; Figura oblongas stirias seu Cristallos exhibeat oportet. Sapor ipsius instar glaciei in lingua liquescentis aliquam amaritudinem exhibebit. Igne siccatus, humiditate amissâ, tres sui corporis partes perdet, ac quartam solam retinebit. Aqua solutus, easdem tres partes recuperabit.

E contrario si in quadratam figuram concreverit, saporem adhuc salsum exhibuerit, atque exsiccatus parum humiditatis amiserit, nullius erit momenti, ac indicium faciet, aut ipsum Oleum Vitrioli bonum non fuisse, aut ejusdem debitam copiam ad operationem non adhibitam esse. Hoc silentio involvere noluimus, ut ita tyronibus benè consuleremus, & ab erroribus eosdem abduceremus.

LXXXIII. *Quæstio; An Sal Mirabilis etiam Opificum, & aliorum Artificum usui inserviat?*

REsponsio: Imò. Sal enim hic Mirabilis non solum magni momenti, & non vulgares tàm

in

in Alchymiâ, quàm Medicinâ res, quarum narratione ob brevitatem hîc nobis ſuperſedendum eſt, præſtare, ſed etiam in aliis artibus & opificiis ſummâ cum admiratione & utilitate uſurpari poteſt, id quod & hîc demonſtrare ob modò dictam brevitatem nobis non licet. Illud duntaxat hîc demonſtrabimus, quod ipſo etiam viliſſimi agricolæ, ſi ipſius præparationem noſſent, ſummo cum fructu, & emolumento uti poſſent.

LXXXIV. *Quomodo per Salem Mirabilem quivis Agricola, ſi illum in promptu habere poſſet, cujuſvis frumenti aut ſeminis granum millecuplâ multiplicatione augere queat.*

SUprà monui, Sal Mirabilis ita per ſe, & ſine ullâ aliâ præparatione accedente, ad Vegetabilium multiplicationem planè ineptum ſit, niſi prius corroſiva illa facultas, per Calcem vivam, aut alios Sales Alcali ipſi adimatur, ſi quid boni quis ab ipſo in hâc multiplicatione expectare velit. Hic jam haud exigui momenti rem detegam, non tamen ideò, quod ruſticis perſuadere velim, ut tàm copioſam creſcendi facultatem frumentis ſuis inpoſterum concilient. Minimè gentium. Non enim me fugit, ipſos Salis Mirabilis conficiendi rationem non tenere, ac ſi tenerent, ab antiquâ ſuâ conſuetudine tamen ne latum unguem diſceſſuros eſſe. Proverbio vulgari enim dicitur, vetulos canes difficulter admodum vinculis conſtringi,

ſtringi, id quod communis Mortalium vivendi ratio perſpicuè docet, dum quiſque ægrè in ſenectute ſuâ dediſcit ea, quæ in juventute ſuâ addidicit, adeò ut Senex difficulter admodum ſe ab iis abduci patiatur, quibus juvenis adſuevit. Nec idem etiam hic facere ſtatui, qui ea, quæ hic trado, eum duntaxat in finem affero, ut poſſibilitas, & admirandæ Salis Mirabilis proprietates ex tenebris in lucem protrahantur, & toti Mundo palàm fiant.

Idem de aliis opificibus intelligi velim, quibus hæc non traduntur, ut de ſuâ veteri conſuetudine deſiſtentes, meis monitionibus & meæ doctrinæ pareant; Ejus enim rei gratiâ duntaxat in medium proferuntur, ut unicuique conſtet, quod meus Sal Mirabilis omnis generis hominibus, atque ita etiam ipſis Opificibus, ac viliſſimis agricolis magnum fructum & emolumentum afferre queat.

Quando frumenti granum aliquod, præter communem conſuetudinem, inauditâ multiplicatione augeri debet, omninò neceſſarium eſt, ut plures uno, duobus, aut tribus, culmos emittat, quandoquidem tam pauci culmi tantam multiplicationem reddere nequeunt. Si autem uni grano tot culmi emittendi ſunt, neceſſarium omninò eſt, ut illud per ſingularem quandam & fortem expulſionis, & emiſſionis efficaciam fiat, & quidem confeſtim ab initio, cum primum terræ granum mandatur. Quicquid enim hîc ab initio

initio non fit, posteà nunquam fiet, cum omnes culmi, quicunque etiam postea emergunt, parvi, & ad frumentum ferendum inepti manent. Quia igitur una eâdemque vice, ex uno grano, plures culmi germinando erumpere debent, si ab ipso insignis multiplicatio exspectanda sit, ipsa profectò necessitas requirit, ut aliquo auxilio ipsi grano succurratur, antequam terræ mandetur, ut ita crescendo luxuriari, & festinare, ac mox ab initio culmorum copiam protrudere queat.

Rusticis nihil aliud notum est, quam quod fimus ad talem operationem ipsis inserviat. Ego autem, ut anteà sæpius, ità & nunc rursus dico, quod hic effectus multiplicationis usitatæ, non ab ipso fimo, seu externo cortice, sed à Sulphureo Sale in ipso fimo latente oriatur. Hinc quantò purior & melior ipse Sal existit, tantò celerior & efficacior operatio ex ipso emergit. Si igitur Artis operâ talis Sal confici potest, qui idem, quod fimus, præstet, omninò sequitur, quod idem sine fimo efficere valeamus, & quidem longè melius, quam per fimum, in quo Sal longe latéque est dispersus, quem in angustias Artis beneficio contrahimus.

Lectori Benevolo non displiciturum spero, quod de fœtido animalium fimo hîc tot verba faciam, cum alia hîc loquendi ratione uti non queam, quippe qui rem hanc patefacere institui, ac proinde de ipsâ etiam loqui cogor. Nam qui aliquid palàm facere cogitat, illud facere nequit,

nisi etiam de eodem loquatur. Ac quamvis delicatulis nonnullis mortalibus res admodum contempta fimus videatur, unicum tamen, & præcipuum medium est, cujus ope panis quotidianus, & necessaria corporis nostri sustentatio nobis obtingit. Sed fœtido animalium fimo ad fimeta remisso, ad Salem meum Mirabilem revertamur, & videamus,

LXXXV. *An Millecupla multiplicatio frumenti, per meum Salem Mirabilem, acquiri queat.*

UNi, aut duabus libris Salis Mirabilis, in tigillo fusis, injectos Carbones solve, ac per solutionem in lapidem rubrum, & igneum redige, quem ex utrâque materiâ per fusionem compositum effundes, in pulverem conteres, ac vulgari Spiritu Vini perfundes, ut tincturam extrahendo rubescat. Hoc in aliud vas effuso, alius dictæ materiæ Spiritus affundendus atque hæc affusio & effusio toties iteranda est, donec omnis rubor extractus fuerit. Per hanc Extractionem compos fies Sulphurei Salis, idonei ad frumentum eo macerandum, quia cum proprietatibus convenit Salis illius, qui in fimis animalium occultus hæret. Ad ejus autem Extractionem Spiritum Vini eâ de causâ usurpo, quia æquè ac Sal seminum germinationem accelerat, ac multorum culmorum emissione locupletat. Spiritus Vini tamen nimis fortis

fortis esse non debet, utpote crescendi facultatem aliàs impediturus, quod & Sal facturus esset, si ejus nimia copia Spiritui Vini debiliori adesset, quia semen comburendo etiam Seminis facultati crescendi impedimento esse posset. Ideò necesse est, ut in ejusmodi Operationibus debitæ mensuræ accurata ratio habeatur. Nam nimius alicujus rei excessus non minore damno afficere solet, quam ejusdem defectus.

Hæc est Salis Mirabilis, ad frumenti macerationem, ut multos culmos proferat, necessarii præparatio: Sequitur ejusdem in macerando frumento genuinus, & verus Usus.

LXXXVI. *In Sale Mirabili frumentum macerandi vera & debita ratio.*

FRumenti varia sunt genera, & horum etiam differentiæ variæ, & diversæ. Hinc unum Semen altero diutius in maceratione maneat oportet, idpropter, quod unum altero citius mollescit, aut altero humiditates promptius sibi attrahit, adeò ut omninò discriminis ratio habenda sit. Siligo & triticum tenuibus vestita corticibus, citò macerationem suscipiunt: Avena longiorem postulat, ut & hordeum, quod duriore cortice avenam superat, ac ideò longius ad sui macerationem tempus requirit Cuique intellectu proprio, & experientiâ crebrâ hæc pervestiganda sunt, quia fieri non potest, ut omnia tàm clarè & per-

ſpicuè tradantur. Communiter verò frumenti grana tamdiu in maceratione relinquenda ſunt, uſque dum facile dentium morſu conteri queant. Nimia ipſorum mollities cavenda eſt, utpote mox ad putrefactionem deducens, & quamcumque creſcendi facultatem, ipſa illa putrefactione corrumpens. Hoc experientia ipſa, deſcriptione prolixiore longè commodius, & perfectius docebit.

LXXXVII. *Maceratum frumentum terræ inſerendi verus, & debitus Modus.*

VNuſquiſque ſecum ipſe facili negotio cogitare poterit, ſi frumentum dicto modo maceratum, communi ratione, ita craſſè & denſè agris committeretur, quemadmodum alias ab Agricolis ſpargi ſolet, rem non ſucceſſuram, ob nimiam granorum copiam, & denſitatem, quâ ſibi invicem impedimento futura, & ſe mutuò ſuffocatura eſſent. Huic itaque incommodo obviandum, & grana macerata ejuſmodi raritate agris inſerenda, & inſpergenda ſunt, ut aëre libero fruentia enaſci queant, & mutuâ ſuffocatione ſeipſa non corrumpant.

Imò accuratiorem diligentiam ad hanc ſationem adhibiturus, aliquod inſtrumentum ligneum ſibi parare poſſet, quo ſimul & ſemel, bono ordine, & certâ diſtantiâ, terræ plura grana inſererentur, & immitterentur, de quo labore in alio loco

loco prolixius agere mihi propoſui. Ita nullum granum ſine fructu peribit, ac uno ſacco frumenti major agri pars conſeretur, quàm alias 6. 8. aut 10. ſaccis repleri poterit. Tempus nimis breve me abrumpere ſermonem de talibus rebus cogit.

LXXXVIII. *Quo pacto Vini cultoribus emolumentum Sal Mirabilis afferre queat.*

SI Salis Mirabilis copia haberi poſſet, & quidem ſine magnis ſumptibus, nullum dubium eſt, quin eadem vites admodum fertiles reddi poſſint.

Quia autem ejus parandi rudes & ignari ſunt, qui vineas colunt, æquum eſt, ut ſuo fimo vaccino acquieſcant, aut tantummodo ad vitium pinguefactionem & ſtercorationem adhibeant Salem communem ac culinarium, qui per calcem vivam invertitur, & alcaliſatur. Niſi quis vites ædibus ſuis adjunctas, aut in horto ſuo haberet, & illis fertilitatem conciliare cuperet. In magnis enim vineis idem tentare nimis precioſum foret.

Alium tamen modum Vini cultoribus ſuggeram, cujus ope quotannis boni vini copiam acquirere ipſis integrum erit.

Quo pacto ſingulis annis nobilium & maturorum vinorum particeps fieri quis poſſit, etiam illis ipſis temporibus, quibus ob frigidiorem aëris intemperiem, ac rariores Solis radios uvis ad debitam maturitatem pervenire non licet, ac porrò iis

in locis, ubi rarò, aut nunquam maturescunt, per concentrationem auxilio Ignis, aut per fermentationem cum proprio vini Spiritu ex fecibus distillato, ac ad vinum ipsum adjuncto, jam variis descriptionibus in Scriptis meis præcedentibus prolixè docui, ut easdem hic repetere non opus sit Nihilominus, si Deus mihi vitam prorogaverit, de propagatione & emendatione vini peculiarem libellum in lucem emittere constitui.

Ut autem ab iis aliquam quoque gratiam ineam, qui tenuiora vina ferre non valentes, nobilius aliquod vinum in cellâ suâ habere desiderant, Secretum quoddam hic revelabo, quod multis millibus hominum, tàm summorum, quàm imorum, tàm divitum, quàm pauperum per totam Germaniam, imò totam Europam non solum corpus & spiritum recreare, sed etiam haud exiguum commodum subministrare poterit.

Convivis suis ex uno cantharo diversa vina exhibere, iisdemque eosdem exhilarare, Salis Mirabilis, & Concentrati, ac frigidi Ignis Salium adjumento, paulò antè docui, & simul etiam indicavi, quod talis vinorum emendatio, plurimis in locis, summo cum emolumento exerceri queat.

Hujus rei veritatem, in Proximi mei gratiam, diversis modis demonstrare, consultum mihi visum fuit.

Frequenter in Scriptis meis excellens aliquod Secretum detexi, ac simul indicium feci maximæ utilitatis, quam idem alicui conferre valeat.

Quo-

Quoniam verò digitis non monſtravi, ubi, & unde tantum emolumentum acquirendum ſit, maxima pars illud animadvertere, aut reperire nequivit, ac proinde rem ipſam, non perſpicuè, ac clarè detectam, tanquam inutilem, & nullius precii repudiarunt. Idem ne huic Secreto etiam uſu veniat, ſi ejus emolumentum quaſi digitis non oſtenderem, id quod dolendum eſſet, ſi tanta Secreta in tenebris latentia, in humani Generis uſum & commodum non prodirent, ejus utilitates manifeſtare conſultum mihi viſum fuit.

LXXXIX. *Quibus modis, per Magnetem meum aquam trahentem, inſignia commoda acquiri poſſint.*

PRimum haud exigui momenti commodum eſt, quando vilioribus, quibus Germania paſſim abundat, vinis nimia aqua adimitur, quod vina evadant nobiliora, fortiora, efficaciora, & durabiliora, ac longè gratiorem ſaporem acquirant. Immatura enim, & aquoſa vina longæ non ſunt durationis, omnem ſaporem, omneſque vires tandem amittunt, mucoſa fiunt, ſitu corrumpuntur, ac haud rarò tenacia, turbida, ſubruſa, & fœtida evadunt, quibus incommodis cunctis, nimiæ aquoſitatis ſubtractione, unius duntaxat horæ ſpacio, Magnes dictus medetur.

X C. *Secundum Commodum.*

SI largus Vini proventus in causâ esset, ut doliorum vini non satis larga copia suppeteret, nec illi recipiendo par futura esset, nihil consultius erit, quam ut Vinum per Magnetem, tractoriâ suâ vi aquam in glaciem convertentem, concentretur, nimiam aquæ superfluitatem extrahendo, ut hâc ratione vina contractiora, eò commodius recondi, & si minus bona fuerint, meliora reddi possint.

Si nobilioris indolis fuerint, vetera & tenuiora vina Magnete dicto concentrari poterunt, ut minore spacio cellæ contenta, novis vinis, & doliis locum concedant.

X C I. *Tertium Commodum omnibus Patribusfamilias gratissimum.*

SI aliquis Paterfamilias vino refertam totam cellam haberet, & quodvis dolium eodem vino nobili, sine omni discrimine repletum esset, Dominus profectò & Servus in eodem gradu positi, idem vinum ex eodem cantharo biberet, nec ille præ hoc aliquam prærogativam haberet. Sed Magnetis dicti ope utens, pro lubitu, vina sua emendare, & diversa in suâ cellâ, sicut paulò suprà docuimus, habere poterit, nimirum si inutilis aquæ partem ipsis subtraxerit.

XCII. *Alius per Magnetem, aquam Vinis subtrahentem, commodi consequendi Modus.*

Vini Anatomia, & examen in 12. ipsius mensuris, unam circiter Spiritus nobilioris, & ferè unam Tartari mensuram deprehendit. Reliquiæ nil aliud sunt, nisi aqua insipida, & vulgari planè similis Quando autem vina ex regionibus, in quibus nascuntur, in remotiora loca transportentur oportet, quid opus est, ut aqua per tanti itineris spacium unà transvehatur? Annon satius esset, ejusdem partem aliquam à vino segregare, vinum transportare, & aquam in suo loco relinquere, ac ita non deferendo aquam in ea loca, quæ eâdem affluunt, magnas impensas evitare? Annon tali pacto in vinorum tàm emptores, quàm venditores magnum emolumentum redundare posset? Imò non modò grande emolumentum, sed etiam magnos thesauros redundaturos in ipsos puto.

XCIII. *Alius adhuc per dictum Magnetem, emolumenti insignis acquirendi modus, nimirum si Vino adusto, qui ex frumento confici solet mucidus sapor, & fœtor adimatur.*

In præcedentibus de hâc emendatione aliqua duntaxat, sed tamen non satis clara & perspicua mentio facta est. Eam igitur hîc clarius, & magis perspicuè aperiam.

Vini adusti, quod ex frumento paratum est, unam partem, cum duabus partibus aquæ communis affusæ commisceas, ut fœtor, & sapor ingratus se in additam aquam diffundat. Hoc Vinum adustum, aquâ temperatum, imposito Magnete, eâdem rursus liberabis, & ità fœtorem omnem ipsi subtrahes, quod idem est, ac si Vinum illud lavisses, & ab omnibus sordibus suis abluisses.

XCIV. *Emolumentum, quod aquæ ab Aceto semotione acquiritur.*

SI hoc liquore quid utilitatis acquirendum esset, simili ratione in iis locis idem fieri posset, ex quibus in alias Regiones transmittitur; Si videlicet eadem ratione inutilis aqua semoveretur, quâ separandam à vino ante docui.

XCV. *Quâ ratione, Magnetis ejusdem auxilio, in iis Regionibus, in quibus uvæ non maturescunt, bonum Vinum, & Acetum quotannis parari possit.*

QUamvis in omnibus oris ad Rhenum sitis, ut in Rhingoviâ, Moguntiæ, Wormatiæ, Argentorati, in Alsatiâ, Palatinatu, Franconiâ, Austriâ, & Wurtenbergensi Ducatu, in quibus ut plurimum singulis annis Vina ad perfectionem suam perveniunt, hæc Ars non admodum sit necessa-

cessaria, nihilominus tamen adjumento ejusdem indigent Saxonia, Misnia, Thuringia, Suevia, & Bavaria, in quibus Regionibus plærumque Vinum acidum manet, nisi casu singulari Æstas admodum calida fuerit. His enim in locis, vini acidioris loco, dulcius, & nobilius bibere non minus utile, quàm jucundum est, si quis idem dictæ Artis beneficio consequi poterit. Prætereà quoque Ars eadem, utilitatis, & fructus haud parum, largitur iis regionibus, in quibus licet nobile, ut modò dictum est, vinum provenire solet, attamen evenire potest, ut ob iniquiorem aëris intemperiem uvæ non maturescant, aut etiam in vineis, debito Solis calore destitutis, ad requisitam maturitatem non perveniant. Nam in unâ eademque Regione sæpius diversa Vina proveniunt, ita ut unum nobilitate, & bonitate alterum superet. Quæ igitur bona, & nobilia sunt, hujus Artis ope non indigent: Tenuioribus contrà, & minus nobilibus eâdem opus est. Hinc concludo, in omnibus Mundi Regionibus; ubicunque etiam Vina nascantur, hanc Artem uniuscujusque commodo, & utilitati inservire.

XCVI. *Quomodo in frigidioribus Regionibus, ut in Poloniâ, Daniâ, Sueciâ, Norvvegiâ, &c. quæ ob frigidiorem suum aërem vini culturam non admittunt, nihilominus valetudini conducens Vinum, & bonum Acetum parari queat.*

Licet frigus impediat, quominus Vites propagentur, & vineæ colantur, nihilominus tamen ejusmodi loca frigori obnoxia pomis, piris, ac similibus fructibus arboreis affluunt, quorum succus expressus, fermentatus, & post fermentationem, maxima aquæ suæ inutilis parte liberatus, meliorem & constantiorem potum exhibebit, illo qui vulgari modo ex pomis & piris conficitur. Hic enim propter nimiam suam humiditatem diu consistere non potest, sed tenax, acidus & mucidus evadens in corruptionem abit.

Pari ratione Regiones frumento abundantes, optimi & vino simili potus participes reddi possent, loco vini cum utilitate, & bonæ valetudinis commodo usurpandi & bibendi, quod sequenti modo effectui dandum esset.

Primo triticum optimum, lenis caloris tostione, ad germinationem promoveatur, & post germinationem in calido furno, aut grandioribus ahenis, ligno aliquo, sine intermissione agitatum exsiccetur, quæ exsiccatio per ignem frumento mucidum odorem adimit. In hâc operatione probè cavendum est, ne frumentum ignem redoleat, quod

quod ad ſufficientem duritiem exſiccando redactum eſt, quando dentibus preſſum non molle eſt, ſed in fruſta diſſilit, quod ſignum indicio eſt, te labore tuo probè perfunctum eſſe. Ita paratum diſſecetur, aut ſecando comminuatur, aliarum cereviſiarum more, ſine lupulo, coquatur. ac poſt fermentationem Magnete noſtro, ſuperfluâ ſuâ humiditate liberetur. Sic ſuavis potus vino haud multum abſimilis relinquitur, qui ſi ad vinum ſimilitudine ſuâ propius accedere debet, in fermentatione pro quâvis tonnâ, ſeu quovis dolio, una circiter libra Tartari addenda eſt, ut unà cum frumento in fermentationem abeat, atque ita huic potui vinoſum ſaporem largiatur.

Eodem modo ex melle, & ſaccharo optimum hydromel, ſeu ejuſmodi potus conficitur, qui à vini ſapore parum abludit. Ars profectò iis in locis utiliſſima, in quibus vini defectum, & inopiam, mellis & ſacchari affluentia ſupplet. Talem potum conficiens Operatio ſic ſe habet.

Melli aquæ tantum additur, quantum ſufficit, ut unà in aheno coquantur, ac diligenter admodum deſpumentur tàm diu, donec mel rurſus craſſum evadat, & fuſcum, aut ſpadiceum colorem acquirat, quod ſignum eſt, minus ſuavem & melleum ſaporem per decoctionem remotum eſſe.

Huic melli ad dictam craſſitiem redacto rurſus aquæ quantum ſatis eſt, additur, ut unà coquantur, & cocta doliis infundantur. Tepidis adjungendum eſt cereviſiæ fermentum, quod ad fermen-

mentationem deductum hunc liquorem adeò ſuavem reddit, ut vino haud multum ceſſurus ſit. Porrò ad vini ſaporem propius accedet, ſi ipſi, in fermentatione, debita ſoluti Tartari pars adjecta fuerit, ut unà cum hâc fermentatum, Vini ſaporem ſibi adſciſcat.

NB. Attendendum autem hic erit; Primò ne in ultimâ Solutione nimis parum, ſed potius plus aquæ, quam in vulgaris Mulſi confectione aſſumi ſolet, aſſumatur. Ratio eſt, quia Mel debitam fermentationem non conſequitur, ſed conſuetam, & nauſeam excitantem dulcedinem retinens, vinoſi ſaporis particeps fieri nequit.

Aqua verò ſufficiens addita, fermentationem promovet, & facit, ut multum eò citius puritatem & claritatem conſequatur, & ſuavi ſapore excellat. Poſtquam igitur claritatem requiſitam adeptum fuerit hoc Mulſum, Magnete noſtro abſtrahenda eſt aqua ſuperflua, quâ ablatâ, reſiduus ſapor mellis ingratus, unà cum ipſâ abiens, evaneſcit, vinumque hoc mellis, & fortes ſpiritus nanciſcitur, & vinoſo ſapore à Tartaro donatur. Si cui placet, in primâ decoctione nonnulla aromata, melli adjicere, aut quod melius eſt, ſacculo lineo incluſa, per foramen ſuperius in dolium immittere poterit, ut unà cum Mulſo fermententur, & ipſum ſuavis ſaporis particeps reddant. Aromata ſunt ut ſequitur: Cardomomi 1. Coriandri 2. Radicum Irios 3. partes, quæ Mulſo ſuavem ſaporem largiuntur. Sambuci flores ipſum inſtar

vini

vini ex Apianis uvis confecti ſapiens reddunt: Cinnammum & Caryophylli inſignem quoque ſuavitatem ipſi præbent. Talia aromata pro arbitratu ſuo adhibere, cuique liberum eſt, prout vel hoc vel illo ſapore delectatur. Ex tali Mulſo optimum quoque fit acetum, quod Vini aceto, quantumvis optimo, vix cedit.

XCVII *An aliud aliquod emolumentum reſtet, quod Magnes noſter conferre poſſit?*

QUi rem hanc aliquo duntaxat examine perſcrutabitur, proculdubio deprehendet, multis modis Magnetem, qui aquam allicit, utilem eſſe poſſe, quod prolixâ narratione hic commemorare tempus non patitur. Nam quia hic Magnes ex omnibus liquoribus ſuperfluam aquam elicit, commodum certè, & fructus multiplices affert, quos hic quamplurimos indicare poſſemus, ſi neceſſarium foret: Sed his diutius immorari tempus non permittit. In gratiam tamen pauperum, quibus nullum vinum naſcitur, nec etiam pecunia ſuppetit, quâ illud ſibi comparent, ac proinde hyberno tempore præſertim, poſt improbos labores peractos, frigidam aquam bibere coguntur, Artem revelabo, cujus adminiculo, per totum annum, tam æſtivis quàm hybernis menſibus, boni vini hauſtus compotes eſſe poterunt; In iis puta locis, in quibus copioſum vinum

num naſcitur, & autumnali tempore torcularibus exprimitur.

In omnibus iſtis locis, in quibus copioſæ uvæ torcularibus expreſſæ, magnam vinaceorum multitudinem ſuppeditant, hæc eadem partim pro beſtiis conſervantur, ut hyberno tempore eas nutriant, partim etiam tanquam inutiles abjiciuntur, præcipuè iis temporibus, quibus magnus vini proventus ſe offert. Si autem vini proventus parcior, parum vini exhibuit, vinaceis omnibus, aut parti ipſorum aqua affunditur, ac per aliquot dies apud eadem relicta, denuò exprimitur, habens aliquem vini ſaporem, quæ ſervis, ancillis, aliiſque operariis, loco aquæ ſolius, bibenda exhibetur. Sed annis multum vino curando ſatis ſuperque occupati, ac proinde tempus non habentes, quod potui illi conficiendo impendant. Imò tanta nonnunquam Vini copia ipſis in promptu eſt, ut ſufficientium doliorum penuriâ laborantes, tenuiora vina aliis donare cogantur, ut nobilioribus vinis locum in cellis ſuis faciant.

Si igitur pauperes ſibi de bono vini hauſtu proſpicere vellent, comparare ſibi deberent majora dolia, quæ vinaceis, & aquâ ipſis affuſâ implenda, & tamdiu relinquenda eſſent, donec divites ſua vina torcularibus expreſſiſſent, ac in cellas ſuas recondiſſent. Tunc ipſi poſſent etiam in divitum torcularibus ſua vina ſecundaria exprimere, & per Magnetem ſæpius dictum, inutilem aquam ab ipſis ſeparare, ac recondere, quod per totum

annum

annum bonum & conſtans manſurum eſſet, quod aliàs non faceret. Nam ut plurimum ejuſmodi vina ſecundaria nonniſi per hyemem, ver, atque æſtatis partem, & quidem ad ſummum uſque in menſem Julium, durare poſſunt: poſt illud tempus aut mucoſa, aut pendula, aut acida evadunt. Aquæ autem inutilis parte ſegregatâ breviorem, aut diuturniorem conſtantiam conſequuntur, prout plus vel minus concentrata fuerint. Hoc conſilium, & ſecretum pauperibus ſuggerere volui, ut etiam boni vini hauſtus participes fieri queant.

Sed quærerent ipſi, unde nobis Magnes talis ſuppeteret, cujus uſu noſtra Vina Secundaria bona redderemus? Reſpondeo: A divitibus, quorum vineas colunt, commodato tamdiu accipiant, & poſtquam eo uſi ſunt, eundem ipſis reſtituant, quia tàm durabilis, ut neque de ſuo corpore, neque de ſuâ virtute quicquam amittat, ſed ſemper bonus maneat. Divites verò ipſum à Chymicis parandum curabunt, cujus præparatio in Primâ Centuriâ meâ clarè & perſpicuè tradita eſt. Hoc ſi fiet, de quo nullus dubito, ex Magnetis præparatione Chymicus, & ex uſu ejuſdem Mercator commodum & utilitatem percipient. Ac procul dubio ſtudioſi novarum rerum homines reperientur, qui hanc Vinorum concentrationem parvis experimentis tentaturi ſint, ut rei poſſibilitatem expiſcentur. Quod autem majore copia operationem hanc exercituri ſint, in medio relinquo,

cum mihi hîc nec feratur, nec metatur, sive talem artem exercendam suscipiant, sive eandem omittant. Plærorumque enim hominum indoles hæc est, ut admodum libenter magni lucri compotes esse velint, si modo sine magno labore, & multis molestiis illud fieri posset. Hinc certum est, Artem hanc, per frigidos ignes concentrandi vina tàm citò non vulgarem futuram esse, præcipuè quia hîc non tradidi, quo pacto talis Magnetis copia insignis confici, & in usum adhiberi debeat.

Iis, quæ revelavi, abunde me jam satisfecisse arbitror: Alii ex suis thecis quoque depromant, si quid habent. Plura revelare non potui ob graves causas quas hîc palàm facere non necessariũ duco. Plurimos errores plurimi committent, priusquam scopum attingant. Satius profectò foret, ut major numerus esset eorum, qui hanc Artem expeditè callerent, præcipuè in iis Germaniæ locis, in quibus vina adeò acida nascuntur, ut oculis lachrymas extorqueant, si largiore haustu, sitis restinguendæ causâ bibantur. Unde ibidem cerevisiæ primas tenent, non quidem spernendæ, si bonæ fuerint, sed tamen nobili vino neutiquam comparandæ, de quo jure pronunciari possunt hi versus:

Nobile, quod fundunt tenero de palmite vites,
Vinum, quam pulchro munere cuncta beat?
Ægrorum magnos solatur ritè dolores,
Epoto vino, rustica turba canit.

Si

Si videas hodie ſtratum per ſtercora vino,
Ad vinum videas cras rediiſſe virum. &c.

Plures in vini laudem cantilenæ prodierunt; Cantilenis nullis cereviſia celebratur, quantumvis bona etiam fuerit. Hinc non immeritò vitium nobilis ſuccus cæteris omnibus præfertur, ſi modo debitâ nobilitate & bonitate excellat. Si autem bonus non exiſteret, par omnino eſſet, ut ipſi ſuppetiæ ferrerentur, ne acerbitatem, & aquoſitatem ſuam conſervans pereat. Sed turpis avaritia nimio dominatu mortales exercet, adeò ut plures inveniantur, qui affuſâ aquâ vinum corrumpere, quàm extractione illius illud emendare malint.

Sæpius audivi querelas Vini cultorum, illis temporibus, quibus totas cellas repletas habebant vinis tenuioribus, & vilioribus, quæ ad illam bonitatem non pervenerant, ut vendi, & in alias regiones mitti potuerint. Hinc fit, ſi tàm diu jaceant, & non ebibantur, ut magis ac magis degenerent, admodum vilia evadant, ac ſitu tandem corrupta, omninò pereant. Niſi caſu eveniat, ut felicioris proventus anni aliquot ſequantur, quibus tenuiora vina nobilioribus miſceri poſſint, ut iiſdem miſti vendantur, attamen exiguo cum emolumento, quia non mediocria, ſed optima vina à mercatoribus coëmi ſolent. Sed eo, quem indicavi, modo quotannis nobile vinum habituri eſſent. Si enim aquæ octava pars vino ſubtraheretur, boni vini titulo gaudere poſſet; At ſi quarta ejuſdem aquæ pars eidem adimeretur, longè

excellentius evaderet. Parum enim aquæ etiam nobilissimum vinum tenuius & vilius reddere potest, cujus rei periculum facies ut sequitur.

Vini nobilissimi, cujus dolium, sex omas Rhenanas continens, centum Imperialibus, imò vel centum ducatis constat, mensuræ uni octavam partem adimens, & in ipsius locum aquæ octavam partem affundens, gustando comperies, illius bonitatem adeò imminutam esse, ut vix quinquaginta Imperialibus dolium æstimandum sit. Si autem in locum quartæ partis subtractæ: pars aquæ quarta succederet, facili conjecturâ quis augurari poterit, tali vino dolium repletum vix viginti, aut pauciorum Imperialium æstimatione dignum esse. Hoc igitur modo, quem dixi, quodvis vinum, si ipsi tantum quarta aquæ pars eriperetur, ad tantam nobilitatem deduci posset, ut dolium, quod duodecim Imperialium precio venale esset, prius hoc suum precium posteà ter superaturum esset.

Ex his omnibus cuivis facile est colligere veritatem veræ Alchymiæ, ut & fructus incredibiles, qui ab ipsâ repeti possunt. Hinc dico, delicatum illum vini haustum, quem hîc parare docui, plures, ex Alchymiæ hostibus etiam, tanto ardore inflammaturum esse, ut in posterum in carbones manus sint immissuri, & operam daturi, ut talem Magnetem ex ipsis eruant, & in suam potestatem redigant. Hic Magnes haud paucis etiam Alchymistis, jam ad incitas redactis auxilium & opem

feret,

feret, & boni vini haustum largietur, quorum vineas, domum, & facultates omnes, per caminum jampridem fumus & ignis calidus dissipavit, & frigidus ignis cum incremento, non contemendo recuperabit. Nam hic annus intercalaris 1660. primus annus est à Creatione Mundi, quo miseri Carbonarii, & Carbonum incensores si manus extendere velint, ad frusti panis acquisitionem pervenire possunt. Probè hîc ut intelligar, non vinorum Concentrationem solam specto, quoniam & alii utilissimi usus Ignium frigidorum inventi sunt, quos tempus aperiet.

Hactenus dicta de emendatione Vinorum sufficere arbitror, nullus dubitans, quin hâc meâ fideli Magnetis aquam attrahentis revelatione, plurimis satisfecerim; quanquam scio, & alios repertum iri, quibus omninò displiciturum sit, quod toti Mundo utilissima hæc Inventio divulgetur, idcirco dicturis; Cur Glauberus Artem, tantas utilitates conferentem,adeò vulgarem reddit? Annon eam retinendo sibi & suis emolumentum parere, aut aliis precium insigne solventibus tradere potuisset? His respondeo, me tàm avarum lupum non esse, ut cuncta mihi retineam, & aliis vel minimum quidem invideam. Prætereà sciant, me inposterum adeò insanum non futurum; ut quicquam ulli hominum in Mundo pro pecuniâ sim concessurus. Quamvis enim Ars aliqua sit excellentissima, nullius tamen est precii, si pecuniâ vendatur. Longè satius etiam est, ac majorem pro-

profectò laudem meretur omnibus hominibus benefacere, quàm pati, ut omnes homines alicui soli benefaciant. Si quâ ratione Scriptis meis hominum commodo inservire possum, id mihi, lubenti hoc facienti, gratum & acceptum est, utpote res parvi momenti, quæ mihi nullum incommodum infert. Sed per Demonstrationem ocularem alios beneficiis afficere insigniter nocet, quandoquidē ejusmodi Demonstrationes magnos sumptus, & multos, grandesq; labores requirunt. Et si beneficia accepta, contra naturam, malefactis compensantur, duplex inde damnum oritur, dum cum Arte pecunia, labor, & tempus frustrà impenduntur, ut mihi adhuc hoc anno usu venit, quod Deo vindicandum suo tempore committo.

Exemplo sit Medicus, qui quamdiu consistere posset, si plurimos annos Medicinæ studio, & Theoriæ cognoscendæ impenderit, ac posteà victum ac amictum quæsiturus, ab omnibus suis ægris vacuus, & inanis dimitteretur, & quod pejus est, adhuc conviciis, & calumniis plurimis oneraretur? Nonne dicere posset, talium ægrorum ingratissimorum non ego, sed Diabolus sit Medicus. Nihil aliud apud ingratissimum Mundum in more positum est. Diabolus plurimorum hominum pecuniæ incubat, ac illam adeò ponderosam reddit. Qui cum optimis suis amicis concordiam colere cupit, de pecuniâ ne loquatur. Si hoc facit, amicitiæ vinculum rumpit, & torvo vultu aspicitur, si non jurgia & lites etiam accedant.

dant. Hujus rei, cum damno & jacturâ, plures Medici periculum fecerunt, & adhuc quotidiè faciunt. Ad ægrum vocatus faciem humanam habet; Si ipsum solatur, ac auxilium, divinâ favente gratiâ, ipsi promittit, angelicum vultum habet; Si officio suo functus laboris precium postulat, Diabolicum vultum habet. Hoc ut plurimum inter homines solenne est. Impietate & malitiâ execrandâ hoc superat, quod æger tàm diu Medico usus, donec convaluit, nihilominus tamen restitutionem suam dissimulat, ac ægritudinem porrò simulat, perinde ac si vel minimum ex Medici sui laboribus levamen non percepisset. Imò solent nonnunquam ægri ad tantam perversitatem & malitiam collabi, ut etiam infamiæ maculam Medicis suis inurere conentur, falsissimis calumniis spargentes, Medicamentis ipsorum sibi propinatis se non adjutos, sed potius ægriores factos esse, quod nullo alio fine faciunt, quam ut parvâ mercede ipsis debitâ ipsos emungant. Annon Medicus aliquis ægerrimè ferret, si tanta malevolentia ipsi pro beneficiis collatis redderetur. Ut paucis dicam, præsens Mundus ingratitudine refertus, & distentus est, ac nihili pendit horrendam execrationem, qua Deus eam detestatur. Quæ hactenus dixi, ex bono & fideli animo fluxerunt, quibus etiam non acquievissem, sed iis longè mirabiliora in lucem edidissem.

Sed omnis mea diligentia, & omnis labor, quibus benè mereri de aliis molitus sum, malè

collocata mihi nil nisi damnum intulerunt. Hinc non absque ratione iis in futurum edendis supersedeo, ea tantum excipiens, quæ ad meorum Scriptorum magis perspicuam explicationem, & veritatis demonstrationem necessariò requirentur.

Salis multa de Salis Mirabilis usu, & Vinorum, aliorumque potuum, ac liquorum per Frigidos Ignes Concentratione me jam dixisse opinor. Haud parvi momenti plura, ipsis adjungere potuissem, si per temporis brevitatem mihi integrum fuisset. Auctarii tamen loco addendum videtur, quoniam boni vini haustum facere docui, & Baccho cum Cerere magna familiaritas intercedit, ut etiam ostendam modum, quo quis admodum delicatum, & optimi saporis panem consequi queat, ut ita potissimis inter cibos & potus sit instructus.

Magnete Frigido, ex recente lacte vaccino dulci, extrahatur pars aquæ aliqua, ut ità bonitate vulgari lacti antecellat. Optimum hoc nutrimentum esset iis infantibus sustentandis, quorum matres nimis maturè obierunt. Crudum enim lac vaccinum non quilibet infans tolerare potest. Si aquæ superfluitas per coctionem amovenda est, lac multæ coctionis non patiens, facilè adustionem sapit, quâ carebit, si per Magnetem sæpius dictum, aquâ suâ liberetur, cum dulce maneat, & optimum saporem retineat. Hoc lacte pingui, aquæ loco, si optimæ notæ farina triticea humectaretur, & panis pinseretur, proculdubio saporis

ris optimi panis evaderet, qualis vulgari piſtione fieri non poteſt, licet butyrum etiam adjungeretur. Hoc pane ſolo quis veſci poſſet, ſine caſeo, & butyro, quia Caſeus & butyrum cum lacte, in quo latent, pani adjuncta ſunt. Talis panis forte eſt nutrimentum, ſaturando & nutriendo vulgari multum præſtans, quo edendo aliquis facile exceſſum committere poſſet, quia ſapore ſuo ſuavi palatum apprimè delectat. Hoc mihi quodam tempore uſu venit, qui pane ejuſmodi, qui cum pingui lacte ovillo piſtus erat, edendo modum exceſſeram. Revera autem evenire hoc ſolet iis, qui edendo & bibendo delicatis cibis & potibus abutuntur, ut in medicorum manus incidant, quia potiſſimi morbi ex nimiâ ſatietate,&crapulâ emergunt. Hinc meritò ſumma in omnibus rebus mediocritatis & temperantiæ ratio habenda eſt.

XCVIII. *Quomodo Medicis Magnes aquam attrahens inſervire poſſit.*

MEâ ſententiâ Medicus ægrorum Urinam probè examinaturus, & ejuſdem Anatomiam exerciturus eſſet, & quidem facilius, quam per ſolum aſpectum externum, ſi nimirum illam per Magnetem ſæpius dictum ſepararet, ac aquæ partem ipſi adimeret. Etenim hoc pacto maximum diſcrimen inter unam & alteram partem deprehenſurus, ac morborum cauſas & proprietates cogniturus eſſet, & quidem longè melius, &

certius, quam per aſpectum nudum Galenico more, & pondus, atque diſtillationem, ſecundum Paracelſi, & Thurnheuſeri conſuetudinem. Sed unicuique integrum eſt, inquirere, quinam horum trium modorum cæteris ſit præferendus.

Sequitur jam Corollarii loco præſtantiſſimorum quorundam medicamentorum, ad curationem graviſſimorum morborum, tàm in hominibus, quàm beſtiis adhibendorum deſcriptio.

XCIX. *Calculi Renum, & Veſicæ, ut & Podagræ curatio.*

RENum, ac Veſicæ Calculus, ac Podagra graviſſimi morbi eſſe judicantur, & revera etjam graviſſimæ ſunt ægritudines, cumprimis autem Podagra, quæ varia, & multiplex, graviſſimis doloribus humanum corpus affligit. His morbis curandis & tollendis, certum ac tutum medicamentum, idque paratu facile, & paucis impenſis conſtans præſcribam.

℞. 1. aut 2. libras Tartari albi, & cuivis libræ in pulverem comminutæ affunde aquæ communis circirter 8. aut 10. libras, quas terreæ ollæ vitro obductæ immiſſas prunis impones, ac tamdiu coques, donec omnis Tartarus ab aqua ſolutus fuerit, quod factum eſſe deprehendes puro cochleari ligneo, quo ad fundum ollæ demiſſo explorabis, an aliquid adhuc ſolvendum ſuperſit. Inter coquendum ligneo cochleari, pluribus foraminibus

bus perforato, ſpumam accuratè removebis, ut nulla impuritas reliqua maneat. Poſteaquam omnis Tartarus ſolutus fuerit, & nulla prorſus ſpuma apparuerit, aqua tamdiu coquendo evaporanda eſt, donec cuticulam in ſuperficie oſtendat; Ollâ à prunis remotâ, & in aliquem frigidum locum remotâ, ac per unum diem quietâ relictâ, Cryſtalli pulchræ inſtar teſſerarum, cubicam figuram habentium, lateribus ollæ adhærebunt; Hunc mundatum Tartarum Paracelſus tecto nomine Ludum appellat, propterea procul dubio, quod teſſerarum quadratarum figuram repræſentat, quam poſt purificationem conſequitur. Ex hoc puro, & in cubicam figuram redacto Tartaro, Univerſalis contrà omnes morbos Tartareos Medicina hoc modo paratur.

Si tibi hujus puri, ac cubici Tartari libra una ſuppetit, Tartari crudi libram unam per calcinationem in album Salem redige, quem eâ communis aquæ copiâ ſolves, quæ tibi ad eum ſolvendum neceſſaria erit. Salem aquâ ſolutum per filtrum, ſeu chartam bibulam tranſmitte, ut, omnibus fecibus in chartâ relictis, acre lixivium nanciſcaris. Hoc in vitriatâ ollâ dictæ libræ Tartari purificati affundes, & unà cum illo accuratè coques, in quâ coctione à lixivio Tartarus facilè ſolvitur, & cum eodem in ſubrufi, aut ſpadicei coloris ſuccum mutatur, licet lixivium, & Tartarus album, & clarum colorem habuerint. Ratio eſt quia Tartarus adhuc multis occultis, & nigris fecibus pollutus,

eaſdem poſt ſolutionem cum lixivio demum prodit, & viſibiles reddit. Turbida hæc ſolutio per filtrum tranſmiſſa, liquorem flavum dimittit, & in filtro multas feces relinquit, ad nihil aliud utiles, quàm ut abjiciantur, cum nullas amplius vires poſſideant. Admiratione autem res eſt digna, quod in tàm probè purificato Tartaro tot feces adhuc ſuperſint.

Hic liquor ita paratus, omnis generis ægritudinibus tartareis, quotidiano ſuo uſu tollendis, & curandis par eſt, aut ad minimum vires ipſarum validè frangit, ita tamen, ut corpus antè Medicamentis Antimonialibus purgetur, quorum unum proximè ſubjungemus.

NB. Hoc Medicamentum adhuc nobilius evadit, ſi omni humiditate evaporatâ, ſubrufus Sal reſiduus bono Spiritu vini ſolvatur, & filtretur, ac ipſe Spiritus Vini per diſtillationem lentam rurſus ab ipſo ſegregetur. Ita enim per hanc ſecundam ſolutionem feces adhuc plures ſejunguntur; & ipſe Sal majorem puritatem conſequitur.

Hic Sal, tanquam precioſus theſaurus, contrà omnes ſupradictos morbos Tartareos, tutò uſurpari poteſt. Pellit enim Urinam, & omnes impuritates ex Renibus, & Veſica, & impedit, quo minus in iiſdem membris arenarum, aut calculorum aliqua fiat congregatio, & generatio. Si verò ibidem calculi nati & generati eſſent, & non nimis duri exiſterent, eos ſenſim ac pedetentim conſumit, ac ſecum avehit, dummodo Antimonialia

Pur-

Purgantia, uti modo dictum est, corporis prius purgandi causâ præmittantur.

His paucis verbis te docui, quomodo Ludus, hoc est, tali aut tesseræ figuram habens Tartarus, per proprium suum Alkahest, seu Alkalisatum suum Salem, in Medicamentum omnibus morbis Tartareis resistens mutetur.

Dosis ejus est ℈j. in Vino, cerevisiâ, vel aliis vehiculis, quotidie aliquoties, aut ad minimum bis, manè nimirum & vesperi, pro iis, qui sunt annorum 15, aut 20, & suprà, quibus, post sumptum medicamentum, debito tempore jejunandum erit.

Ætate minoribus à 3.4. usque ad 10. vel 12. annum unâ vice 3. 4. 6. 8. aut 10. grana exhibenda sunt, prout plures vel pauciores annos habuerint.

In Humani Generis commodum tàm excellens Medicamentum descripsi, cui nullum, quantum mihi quidem constat, excellit, licet adeò vile, & ortu tàm vili oriundum videatur. Ne à quoquä te absterreri patiaris, sed audacter eodem utaris, quandocunque necessitas te urgebit. Melius certè te non inventurum, mihi firmiter credes. Non te fallo, quod tibi ejus usus demonstrabit.

Hæc est velox, & mirabilis purificatio Tartari, & mutatio in Salem suavem, qui neque dulcis, neque acidus, inter utrumque medium saporem, & mediam naturam, ex acido & Alkalisato Tartaro acquisitam obtinet.

Ipsa Purgatio Antimonialis sequitur.

C. *Uni-*

C. *Vniversale Purgans Antimoniale, in omnibus gravibus morbis, cum successu admodum felici, adhibendum.*

℞. ANtimonii crudi, Tartari, & Nitri ana; unumquodque separatim in pulverem comminue, pulveres commisce, commistas in tigillum, aut crucibulum immitte, & injectâ prunâ accende, ut accensione hâc inflammentur, & in subrufi, aut spadicei coloris massam abeant. Tigillum adhuc calidum furno venti impone, & funde, omnemque materiam, instar aquæ in tigillo liquatam, effunde in receptaculum fusorium, ac refrigeratam exime, ut Regulum inde demas, & ad alios usus seponas, quia huic nostræ operationi non inservit. Ex unâ autem Antimonii libra 8. lotones, sive quatuor unciæ Reguli supererunt, ita ut ex unâ librâ Regulum quatuor unciarum, sive quartam ejusdem libræ partem sis adepturus. Scorias rubro colore apparentes, & igneum saporem in linguâ exhibentes, in tigillum illud, in quo fusæ sunt, si adhuc integrum fuerit, aut in aliud novum repositas iterum funde, iisque rursus carbonem candentem impone. Hanc prunam Salpetræ adorietur, & ipsius corrosione occupatus, residuum, quem adhuc penes se habet, regulum Antimonii dimittet. In receptaculum fusorium effusæ, & refrigeratæ materiæ, regulum in imo adhærentem, ictu mallei decute, & sco-

ſcorias rubri coloris, & ignei ſaporis in pulverem comminue, ex quibus ita comminutis communi aquâ affuſâ, in calore, ſales extrahuntur, qui puriſſimum Antimonii Sulphur ſecum abripientes, aquam in rubrum lixivium convertunt, quod Medicamentum hoc abſcondit, quod quærimus, ſequenti ratione tibi eliciendum. Nam poſtquam omnes humores ſolvens, & evacuans Sulphur à lixivio, ſive Salibus ſegregatum eſt, reliquiæ nulli uſui eſſe poſſunt.

Tartarum album & purificatum in ollâ aliquâ vitriatâ ſolve aqua communi, quæ acidam ſolutionem tibi præbebit. Hanc ita calidam (nam frigida denuò concreſcentem Tartarum dimittit) in Antimoniale lixivium ſenſim immittens, illud franges, & debilitabis, ut Sulphur Antimonii in formâ ſubflavi, aut ſpadicei pulveris, ad fundum dimittat. Ubi Sulphur omne ſubſederit, claram aquam Salis à Sulphure per effuſionem ſepara, illudque calidam aquam aliquoties affundendo, omni ſuâ ſalſedine libera. Tandem per Filtrum cola, ut omnis aquoſitas abeat, & Sulphur in filtro maneat, quod recenti, & ſiccæ chartæ bibulæ impones, omnem aquoſitatem removendi cauſâ, & Solis calore exſiccabis. Hoc eſt Medicamentum illud Univerſale Purgans, quod omnes malignos humores, per cuncta Emunctoria, vomitus videlicet, ſedes, ſudorem, urinam, & ſalivam ex toto corpore humano exturbat, & quidem admodum, tutò, ſi cautè adhibeatur, & doſis ejus non nimis

augea-

augeatur, quo in caſu etiam & ipſa medicamenta Galenica damnum inferunt, ſi nimirum debitus ipſorum uſus excedatur. Hinc ſatius eſt, ut ab initio potius minor ejus doſis uſurpetur, quam ipſa excedatur, ut ita nullus error committatur, & ſine periculo exploretur, quid ægri vires ferre valeant, aut recuſent. Ac licet hujus Medicamenti tàm exigua doſis exhiberetur, ut nullas vires exerat, & plane nullam viſibilem operationem edat, nihilominus tamen officio ſuo fungitur, & ægritudines expellit, ſed tardius, quam ſi debita doſis propinata fuerit, quæ ad minimum 1. 2. aut 3. ſedibus operationem ſuam peragit. Validis & in juventute ſua conſtitutis perſonis, ea doſis exhiberi quoque poſſet, quæ vomitum excitaret, qui cavendus apud eos, qui vomere poſſunt, & vomitus ferre valent. Doſis uſitata apud eos, qui 15. annum ætatis ſuperarunt eſt unius, duorum, trium, quatuor, aut quinque granorum, prout majores vel minores ætate fuerint. Infantibus, & cæteris paulò majoris ætatis octava, quarta, aut dimidia unius grani pars, uſque ad 1. granum exhiberi ſolet, ætatis, & morbi habitâ ratione. In omnibus autem morborum generibus, ac omnigenis hominibus hujus Medicamenti uſus locum habet, exceptis fœminis prægnantibus, quibus aut omninò nihil, aut tàm parum duntaxat propinandum, ut nullius vomitus periculum ſubeatur. Idem apud eas perſonas obſervandum eſt, quæ adeò debiles ſunt; ut viribus ad hanc operatio-

nem

nem requisiti penitus careant. Ejus tamen usum recens nati infantes etiam admittunt, nimirum propter epilepticos insultus, quibus plæraque pars, sine ullo auxilio, abripi solet. Dosis seminis rapæ magnitudinem excedere non debet, cum materno lacte propinanda. Si verò infantes jam fortiores evaserint, & dimidium ætatis annum superaverint, Medicamenti dicti dosis paululum augenda, ut visibilem operationem edendo, omnes malignos humores ex corporibus ipsorum ejiciat, & ipsi postmodum variolis, similibusque morbis, quibus infantes obnoxii sunt, non affligantur. Omnes certè infantes, quibus idem medicamentum exhibui, hactenus illorum morborum periculum non subierunt, quod parentes ipsorum, & alii testimoniis suis confirmare possunt. Cumprimis autem hoc Medicamentum tàm in junioribus, quàm senioribus contrà Epilepsiam præsentissimum est remedium, & in Peste, omnibusque febribus certissimum Secretum, optimumque purgans in Podagrâ, Leprâ, Morbo Gallico aliisque gravissimis morbis, ut & in externis vulneribus recentibus, fistulisque, ac ulceribus veteribus quocunque nomine etiam appellentur, si internè ad purgandum usurpetur. Ut compendio dicam, hoc Medicamentum viribus vix par sibi habet, ità ut hic non sit, cur illos curemus, qui ex merâ ignorantiâ, Antimonium in doctis suis latratibus oppugnant, & calumniantur, quod nihil nisi venenum sit, ac pro-

K inde

inde nullam utilitatem conferat. Ne quis latratui ipſorum fidem adhibeat, ſed prius rem ipſam exploret, quæ ipſi planè contrarium monſtrabit.

Equidem hoc non invitus fateor, antè præparationem ſuam Antimonii in corpore humano nullum uſum eſſe, nec eſſe poſſe. Poſt præparationem verò illud optimum Medicamentum exiſtere audacter affirmo.

Hâc de re præcipui ex Veteribus Philoſophis conſulantur, & legantur, ac cumprimis Baſilius Valentinus, qui in Antimonii honorem Currum Triumphalem conſcripſit.

Videantur, quæ Paracelſus, Alexander à Suchten, & alii plures de incomparabilibus Antimonii viribus, & virtutibus literis prodiderunt. Alios taceo tàm recentiores, quam antiquiores Medicos, ex quorum omnium Scriptis liquidò patet, quæ in Antimonio occulta lateant. Omnium enim virium & virtutum, vires & virtutes concentratas poſſidet; Quid verbis opus eſt? Ad examen vocetur; exanime ſuo apertiſſimè teſtabitur, quos theſauros in gremio ſuo gerat. Quæcunque hîc à me dicuntur, à miſericordiâ, & amore meo erga proximum meum proficiſcuntur, ut ipſius ægritudinibus & miſeriis ſuccurram. Minima dicti Medicamenti portiuncula totam familiam, per integrum annum, non modò ab omnibus incidentibus morbis, tutos conſervare, ſed etiam liberare poteſt. Sic & beſtiarum ægritudines quaſcunque ſuâ efficaci virtute depellit. Fideli & benevolo

nevolo animo hoc ſolatium & auxilium contrà omnes morbos incidentes ſive externos, ſive internos ſuppeditare Generi Humano volui. In ſequuturâ Tertiâ Centuriâ contrà omnis generis morbos plura alia Medicamenta excellentia deſcribentur, quæ ad uſum adhibere poterunt, ſi nullâ de cauſâ ab Antimonio abhorrerent.

Quod ad Salem illum attinet, qui ex acidæ Tartari aquæ, & lixivii ex calcinato Tartaro confecti confuſione ortus eſt, excellentiâ & præſtantiâ ſuâ Sulphuri dicto Antimonii non cedit, hoc uno & ſolo excepto, quod Doſis ipſius major exhibenda ſit. Hinc non rejiciendus, ſed poſt Sulphuris ſeparationem, inſipida aqua evaporanda eſt, cujus evaporatio flavum Salem reliquum facit, adhuc Sulphuris Antimonii haud parum ſecum retinentem, ac ideò ferè meliorem ipſo Sulphure, propter ſuam propriam natûram, quâ officio ſuo fungens, per ſe optimis & præſtantiſſimis illis Medicamentis annumeratur, quæ omnibus Tartareis Morbis validè reſiſtunt.

Eam ob cauſam omnibus, qui gravibus morbis onerati ſunt, hunc Salem maxime commendo. Præparatio ejus omninò facilis eſt, utpote qui ex ſumptuoſis materiis non comparatur, ſed vilioribus, ac id propter non immeritò magni æſtimandus eſt.

Doſis hujus tam præſtantis Salis, pro ratione Perſonarum & morborum intendenda aut remittenda eſt. Adultis ut plurimum ℈j. aut etiam ali-

quantò plus sufficit. Infantibus, & aliquantum hos ætate antecedentibus, ab uno ad 12. grana, secundum annorum differentiam, propinanda sunt. Purgatione leni alvum exonerans, sine omni periculo, malignos humores cunctos educit, ac cumprimis Podagricis & Calculosis exoptatissima sublevatione auxiliatur.

Duorum autem Contrariorum Salium, nimirum fixi Salis Tartari, quo Sulphur ex Antimonio extrahitur, & Communis, ac acidi Tartari, aquâ soluti, & Sulphur Antimonii ex lixivio præcipitantis, pondus certum, & limitatum definiri nequit. Etenim secundum Lixivii copiam majorem vel minorem, etiam Tartari aquæ, lixivio affundendæ, plus vel minus requiritur, ut Lixivium occisum Antimonii Sulphur, quod penes se habet, dimittat. Pauciorem, quàm par est, Aquæ Tartari affusionem ipsum lixivium, nondum omni Sulphure liberatum, indicat, ac plus aquæ postulat, ut omnis acrimonia ipsius retusa, Sulphur universum exturbet. Largior Aquæ Tartari affusio lixivium non corrumpit, quod tantum ex Tartaro soluto sibi assumit, quantum ferre potest; Quicquid reliquum est, manet acidus Tartarus ac naturam suam non mutatam retinet. Quicquid in lixivio solvitur, non est amplius Tartarus, quia ex utroque medius quidam Sal evadit, nec acidus, nec dulcis, sed utriusque naturæ particeps, qui in aquâ frigidâ se solvi patiatur, quod acidus Tartarus non facit. Hic Sal idcirco magna præstare

potest

poteſt in Medicinâ; & non ſolum in Medicinâ, ſed etiam in Alchymiâ, aliiſque artibus, opulentas divitias exhibere poteſt; qua de re alio in loco plura dicentur.

Hiſce finio ſecundam hanc meam Centuriam, in quâ non ſolum ea, quæ ob nimiam feſtinationem, Appendici Quintæ Partis Proſperitatis Germaniæ inſerere non potui, abundè ſupplevi, ſed etiam aliquam uſus Salis Mirabilis partem, quantum per temporis brevitatem mihi licuit, detexi.

Si divinâ largiente gratiâ, longior hujus vitæ uſus mihi ſuppetierit, dimidii anni ſpacio non ſolum Patriam, ſed etiam forſan totum Orbem Chriſtianum tanto beneficio afficiam, quantum unquam ab ullo homine acceperunt, adeò ut quaſi novus Mundus in conſpectum ſit proditurus: Qua re nunc acquieſco.

F I N I S.